



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis  
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de  
Antverpiae, 1610**

14 De libris sacris canonicis & apocryphis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

in his, quæ ad fidem historiarum pertinent, non esse omnino Gratiano credendum, imo alios auctores legèdos fore, quorū sit fides apud viros doctos in hac re diu probata & recepta. Etenim falsa esse, quæ de Anastasio Pōtifice Gratianus cōmemorat, primum ex eo cōstat, quod cum Fœlix huius nominis tertius Romanæ ecclesiæ Pontifex Acatio Constantinopolitano præfili condemnationis sententiā, qua dignitas ei abrogaretur, misisset, ipseque Acatius mente, sensuque omni captus Papæ nomen à sacro Albo exemisset, animo, & corpore vinctus, breui post communem omnibus ingressus est viam, mortemque obiit adhuc viuentem Fœlice. Quemadmodum obseruari poterit ex Euagrioli. 3. c. 18. & c. 23. & Nicephoro lib. 15. ca. 17. Atque ideo minime potuit Anastasius Acatium reuocare iam dudum rebus humanis exemptum. Siquidem Acatius vita functus est sub Fœlice, cui successit Gelasius, & huic post annos sex Anastasius idem probatur ex eiusdem Anastasij ad Anastasium Cæsarem epistolæ quæ prima est ex Anastasij secundi epistolis, quo in loco ipse Pontifex asseuerat, Acatium iam dudum mortem obiisse.

Deinde illud est obseruatione dignum, vt obiter adnotemus, Gratianum quandoque eos auctores, quos citat, prae intellexisse, nil in epistola ad Cæsarem, Anastasium Pontificem in patrocinium Acatij scripsisse, cum omnibus viribus conatus fuerit, tam literis, quam nuntiis, vt eius nomē, & memoria à Catholica Christi ecclesiā aboleretur, Imperatoris Acatij memoria defendēti multis rationibus ostēdens, ob graues, intollerandosque excessus, & certa facinora iustissime damnatum eum fuisse à sede Apostolica. Quod apertissime deducitur ex epistola Anastasij ad Cæsarem missa, cuius fragmentum idem Gratianus retulit in ea secundum ecclesiæ distinct. 19. & d. cap. dictum. 1. qu. 1.

Sed & quod Gratianus in Anastasio notat, D. Augustinus sepiissime tractat vt primum, orthodoxum & Catholicum. Nec enim sacramentum aut baptismi, aut ordinis, nec ius dandi sacramenta quo ad characterem amittit hæreticus, aut schismaticus. Ideo nō licet à Catholico sacramentum vel baptismi, vel ordinis repeti, quamuis fuerit ab hæretico episcopo, vel sacerdote collatum. Qua ratione correcto hæreticis vel schismaticis vitio, non est baptismus vel ordo repetendus. Quemadmodum obtentum ac receptum est ab Ecclesia Catholica. Præsertim erant infirma, nec irrita sacramenta, quæ fidelis & orthodoxus populus in vnione manens ecclesiæ Catholice acceperit à proprio episcopo, nec hæretico, nec schismatico, sed qui ob alios excessus excommunicatus fuerat. Est igitur hæc vera & Catholica sententiā, qua probatur, non esse sacramentum ordinis baptismi, & similia repetenda, licet data fuerint ab hæreticis & schismaticis. vbi ad ecclesiæ vnionem redierint, qui baptizati fuerunt, vel alia sacramenta ab hæreticis acceperunt. Quod longius tractauerunt glossæ & Card. S. Sixti in d. cap. secundum ecclesiæ Alfonso à Cast. li. de hæresib. in verb. baptismus. hæres. 5. tex. opt. in c. a quodam de conse. dist. 4. tradit S. Thom. part. 3. quest. 67. art. 5. Thom. Waldens. de sacrament. cap. 4. 5. 6. & seq. Magist. sent. in 4. dist. 6. vbi Thom. p. 2.

Idque ita accipiendum est, vt plane verissimum sit, vbi debita baptismi forma fuerit seruata. Alioqui baptizandi sunt qui ad ecclesiā Catholicam redierint. Sic D. Augustinus in li. de hæresib. Paulianos, inquit, baptizandos esse in ecclesia Catholica Nicæno Concilio constitutum est. Extat Concilij Nicæni decretum ca. 19. ca. si quis. & cap. Paulianista. 1. qu. 1. Lex Innocent. epistol. 22. cap. 5.

Ex quibus palā deprehenditur manifesta calumnia Gratiani, qui nescio cuius testimonio, ausus fuerit aduersus summum ecclesiæ persulem, eumque Catholicū constanter asseuerare, contra Fœlicis & Gelasij decreta, voluisse Anastasium ad ecclesiā reuocare impium Acatium, qui iam dudum mortem obierat, & cuius memoriam ab Ecclesia Catholica deleri in eadem epistolæ Cæsari persuadere conatur, manifesto iudicio. Fœlicis sententiā, quæ Acatium damnauerat, egregie laudans, tantum non propria subscriptione secutus. Eodem sane iure mera sunt commenta, quæ de punitione diuina ipse Gratianus non semel impie, ac temere videtur effutire, & quæ Barbarus interpres adiecit, ex quibus Platina & Volaterranus eandem fabulam, vt opinor mutuo acceperunt. Et Cardin. à Turre Cremata in summa de ecclesiis. li. cap. 106.

## CAPVT XIV.

## In Gelasij Papæ responsum obseruationes quædam de Canonicis libris &amp; Apocryphis.

## SVMMARIA.

- 1 Canonici libri qui dicantur, & qua ratione nobis cognitum sit, eos esse canonicos.
- 2 Ecclesia non potest nouum articulum fidei constituere, nec item ipse Romanus Pontifex.
- 3 Sapientia & Ecclesiasticus canonici libri sunt, quamuis ea de re fuerit olim controversum.
- 4 Iob liber à quo fuerit scriptus, & Thobia liber, an olim fuerit canonicus.
- 5 Libri Esdræ, Hester & Iudith, an fuerint apud Hebræos canonici.
- 6 De Persarum Regibus ex Metasthene, Philone, & Græcis historiographis ad sacra Scripturæ intelligentiam.
- 7 De Machabæorum libris.
- 8 De Prophetarum libris, qui fuerint Canonici.
- 9 Ordo librorum Noui Testamenti, & de quibus apud veteres Theologos fuerit olim dubitatum.
- 10 De ecclesia Catholica, & quid hoc nomen significet.
- 11 Primatus Petri, & Ecclesiæ Romana à Gelasio ex diuino elogio deducitur.
- 12 Petri, & Pauli Apostolorum martyrium.
- 14 De quatuor Patriarcharū sedibus, & quo ordine fuerint olim commemorata.

Gelasius summus Ecclesiæ Pontifex huius nominis primus, ad eam dignitatem electus anno fermè 497. eruditissimus, & Catholicis Episcopis ad se vocatis, eorumque consultatione præuia, de recipiendis, vel non recipiendis libris tractare Romæ conatus, ea de re insignè decretū edidit, in eaque Synodo Christianam religionem profectibus exhibuit, quo maxime scirent, quibus libris, quæ ad fidem pertinerent, probanda forent, & à quibus in his quæ de fide disputantur, esset abstinendum, Extat id decretum integrum in primo conciliorum Tomo, & apud Burchardū Vuormaticensem Episcopum lib. 3. cap. 217. tamen Gratianus eius prima parte omisa, idem 15. dist. tradiderit. Nos ad eius interpretationem, cum & ea sit admodum vtilis & necessaria, iuris diuini, & humani studiosis, prænotandum esse censes scripturas, seu libros de rebus ecclesiasticis tractantes, in tria genera distingui. Primi etenim generis libri sunt, qui Canonici censentur. Secundi generis sunt Agographi. Tertii vero Apocryphi.

Canonici libri dicuntur omnes scripturæ, quas recipit ecclesia, vt publicè legantur in adificationem fidelium, & ex quibus sumatur efficax argumentum ad probandum ea, quæ fidei sunt, & ad fidem pertinet. quibusque vti debemus ad hæreses, earumque auctores expugnandos. Sunt etenim huius generis scripturæ diuinæ quidem, quas homines quidam Deo inspirante scripserunt, imo quas Deus ipse manibus hominum scripsit, nec eis magis quam Deo earum auctori refragari licet. Has canonicas appellamus non alia ratione, quā quod fuerint hæ scripturæ ab ecclesia probatæ, & in canonē diuinarū scripturarū receptæ, siquidem ecclesia iuxta sensum, quæ statim exponemus, regula est firmissima, & cōstitutissima ad discernendū, ac iudicandū, quæ sit scriptura canonica, auctore Augustino libro vno, contra epistolam Manichæi, quæ dicitur Fundamenti. Is enim inquit cap. 5. Ego vero Euangelio non crederem, nisi me Catholica ecclesiæ commoueret auctoritas. idem fere tradit li. 18. contra Faustum, cap. 4. quibus verbis satis docet diuus Augustinus, nullam scripturam esse authenticam, aut Canonice sine autoritate ecclesiæ, cuius membra fuere Canonici scriptores. Nec aliud potest quis scire, scripturas esse diuinas, aut Canonicas, quæ ex ecclesiæ, quæ traditionibus Apostolicis, magisterio spiritus sancti, eiusque lumine edocta decreuit, & professæ est. Canonicum est Euangelij Martij, qui Christum non vidit, nec tamen admisit Euangelium Nicodemi, qui Christum vidit, & audiuit, vt Ioannes capitulo tertio testatur. Atque hæc vera esse multis rationibus, & ex veteribus auctoritatibus, probare conatur, & probant Ioann. Eccius in Enchiridio, ca. 1. Driedonius de dogmatibus ecclesiæ. 1. ca. 1. & li. 4. cap. 4. ex Irenæo, & Augustino. Alfonso à Cast. li. 1. de hæresib. cap. 5. Illud vero est in hac questione potissime obseruandum, proprie, ac simpliciter, nec Canonice scripturam auctoritatem sumere ab ecclesia, nec ecclesiā, à Canonicis scripturis. Vtriusque etenim auctoritas est à Christo, cuius spiritu dictate sunt scripturæ, & efficax

efficax est ecclesia, atque ideo in hunc sensum opinor accipiendum esse, quod modo asseruimus, nullam scilicet scripturam esse, authenticam aut Canonicam sine auctoritate ecclesie, ut intelligamus, penes ecclesiam Catholicam esse ius hoc declarandi, ac denunciandi, quæ scripturæ sint Canonicæ authenticæ, & diuinæ, dictæque à Spiritu sancto. Vnde scriptura Canonica testimonium est ecclesie ex Spiritu sancto testificantis. De quo tractat diligenter Michael Medina lib. de re. in Deum fide ca. 8. Nec posset ecclesia dare auctoritatem, & vires diuinæ scripturæ, ei quidē scripturæ, quæ diuina non est. Hoc enim ex ecclesia habemus, ut sciamus, quæ sit scriptura diuina, & tenemur eam scripturam diuinam censere, quam ecclesia diuinam esse definit. Quæ tamen quamuis certo definit, nec falli possit, sua definitione non efficit illam scripturam esse diuinam. Nam ideo illam diuinam esse professa est, quia vere diuina erat, quod si diuina scriptura non esset, ecclesia minime diuinam esse pronuntiaret. Comperto etenim ex testimonio ecclesie, quæ scripturæ sunt sacræ & diuinæ, ex scriptis habent diuinæ, ac Canonici libri, ut per omnia eis credere tenemur. Imo Catholica, sanctaq; Romana ecclesia diuinis scripturis non tantum testimonium exhibuit, ut testis, qui cogere non potest, officio sancta & testificata, illas esse, diuinas, sed & iudiciali auctoritate iudicauit illas debere recipi, idque fecit magisterio Spiritus sancti, quo pollebat, per traditionem erudita.

¶ Ari ratione ecclesia, & vel summus Pontifex non posset articulum fidei constituere, aut efficere aliquam assertionem esse Catholicam, quæ antea Catholica non fuerit, quod manifesta ratione comprobât Alfonso à Castro lib. 1. de heresi. cap. 8. Ioan. Arboreus lib. 5. Theophrastus, cap. 10. ex nostris Fel. in cap. qua in ecclesiarum de constit. nu. 23. quamuis Abbas contrarium scripsit in cap. cum. Christus. de heresi. cuius opinio, licet maximo conatu ab Alfonso de Castro, & Arboreo improbetur, fortassis eum sensum habuit ab auctore, quo vera possit censeri. Potest enim esse aliqua de fide assertio, quæ est catholica sit, tamen quia non constat manifeste ex sacra scriptura, nec est ab ecclesia definita, interim dum latet, non efficit eum hæreticum, qui contrariam asseruerit, donec ab ecclesia sit definitum. illam assertionem esse veram, & de fide: Solent enim esse plures in interpretatione sacræ scripturæ opiniones, quarum nullæ hæretica est, donec ecclesia diuino auxilio contrariam ex reconditis sacræ scripturæ sensibus probauerit. Sic in cap. damnatus. de summa Trinit. Abbas Ioachim non damnatur, nec censetur hæreticus, licet eius dogma ex sacris scripturis, ab ecclesia damnatur. Ecclesia vero, licet non possit facere quod quædam assertio sit hæresis, quæ prius hæresis non erat, quod satis à præcitatæ auctoribus probatur, potest tamen efficere, ut nobis per suam censuram pateat, illud esse hæresim, quod antea nos latebat, an merito hæresis dici possit. Quæ ratio fit, ut vere possimus asseruere assertionem illam quæ modo ab ecclesia tanquam fidei Catholice contraria improbat, & hæresis censetur, ante definitionem ecclesie etiam hæresim fuisse. tamen prius quam ecclesia definir, eius opinionis assertores hæretici minime dicebantur, quia nos latebat, an ea esset opinio contraria fidei Catholice, modo vero post ecclesie definitionem hæretici dicuntur quicunque eam sententiam probauerint, & receperint, non quod eorum opinio prius falsa non fuerit, Catholice fidei contraria, & hæresis, sed quia nomen hoc hæreticorum infame quidem & ad crimen infamæ grauissimum pertinens exigit profecto pertinaciam, & rebellionem quandam à Catholice ecclesie definitionibus descendente, quæ vere dici non poterat eo tempore, quo dubium erat, nec ecclesia definirat, an ea opinio esset religioni & fidei contraria. Quod est hac in re semper, ac præsertim adnotandum. Denique cum ecclesia possit modo aliquam assertionem pronuntiare, ac declarare Catholicæ esse, & ad fidem pertinere, quæ & antea vera quidē erat, Catholica & ad fidem pertinens: latebat tamē nos hæc de fide veritas propter varias opiniones, reconditæque, & arcanæ sacræ scripturæ sensum, atque ideo contrarium asseruantes ante declarationem ecclesie hæretici minime censentur dici potest, penes ecclesiam esse potestatem istam declarandi Catholicam esse aliquam assertionem, & pronuntians eam ad fidem pertinere ad eum effectum, ut post ecclesie definitionem ea assertio ita manifesta sit de fide,

ut plane hæreticus pertinax sit censendus, qui contrariam secutus ab ea discesserit, tamen ante ecclesie definitionem, licet verissima fuerit & Catholica assertio, propter dubiam eius rei, & controuersam disputationem hæreticus iure dici non poterat, qui contrariam probasset, & secutus fuisset. Vnde ratione, & causa huius declarationis, ex qua hæreticus post ecclesie definitionem censetur, qui prius non poterat huius criminis nomine notari, admitti poterit Abb. opinio in hoc sensu, ut ecclesia possit modo, & nouissime declarare aliquid esse de fide, & Catholicum ad effectum, ut nihil ea de re controuersum sit absque hæresis labe, quod tamen prius occultum erat, eaque ex causa non poterit hæreticus censeri, qui vel contrarium asseruerit, vel de ea redubitallet. Sic sane Diuus Thom. 1. part. quæst. 32. artic. 4. scribit, multa nunc censeri hæretica, quæ prius hoc nomine minime notabantur, propterea quod nunc ex ecclesie definitionibus magis manifestum sit ea esse contraria fidei, aut ex eis aliquid fidei contrarium necessario deduci. Idem adnotauit Caieta. Hinc ab hæresis labe, quæ ex parte nomen hoc criminis grauissimi notam inurit, excusari solent plures Lactantii Firmiani, Origenis, & aliorum veterum errores. Nam quamuis vere tunc fuerint errores contra Catholicam fidem, eorum auctores ab hæreticorum nomine plerumque eximuntur, quod nondum eo tempore ad modum manifesta erant, quæ postea de fide ecclesie Catholica definita, & in publicum tradidit. Hinc denique poterit lector expendere, quo in sensu accipienda sit, quæ Card. à Turri Cremata scribit lib. 4. de ecclesia, cap. 3. part. 2. asseruans, ecclesiam non posse efficere de propositione non hæretica hæreticam. Idem tradit Alfonso Cast. in d. c. 8. & Abb. in rub. de heresi. t. n. 23. ecclesia etenim non potest in his, quæ ad fidem pertinent, facere assertionem aliquam falsam modo esse, quæ prius vera fuerit, nec ex contrario. Erraret equidē, quod est ab ecclesia Catholica in rebus fidei omnino alienum. Potest tamē ecclesia efficere per eius in re olim ambigua, & controuersa definitionem aliquam assertionem modo hæreticam esse, & censeri, quæ prius nec erat, nec censetur hæretica, quod S. Tho. satis docet in d. art. 4.

¶ Canonicos vero libros ex Gelasio, iuxta literam ipsius decreti subiiciam. Primum Veteris Testamenti, deinde Noui. Obiter tamen adnotabo, quæ fuerint apud veteres ea de re controuersa, & quid de his libris, & aliis, qui canonici sunt, ab Ecclesia Catholica, à conciliis provincialibus, à summis Ecclesie Doctoribus, sit ad concilium vltique Tridentinum definitum. Eisdem & similibus utar obseruationibus in explicandis reliquis Gelasiani decreti partibus, in quibus de hagiographis & Apocryphis agitur libris.

#### Ordo veteris Testamenti.

**G**enesis liber vnus. Exodi liber vnus. Leuitici liber vnus. Numeri liber vnus. Deuteronomij liber vnus. Iesu Nane liber vnus. Iudic. 1. liber vnus. Regum libri quatuor. Ruth liber vnus. Paralipomenon libri duo. Psalmorum liber vnus. Salomonis libri quinque. Iob liber vnus. Tobie liber vnus. Estre liber vnus. Hester liber vnus. Iudith liber vnus. Machabeorum libri duo.

¶ Multa poterant hoc in loco adnotari, quædam tamen ceteris præter missis adscribam, siquidē lector reliqua facillime apud Driedonium lib. de dogmatibus eccles. cap. 1. & sequent. obseruabit.

¶ Regum libri, quatuor.) Hanc Regum historiam scripsisse Samuelem, & alios Prophetas, qui singulis temporibus vixerunt testis est Athanasius in opere, quod de libris canonicis scripsit. lib. 11.

¶ Psalmorum liber vnus. Salomonis libri quinque.) Hæc apud Burchardū. At in primo conciliorū Tomo in decreto. Gelasii legitur, Psalmorum centum quinquaginta liber vnus. Salomonis libri tres, Proverbiorum, Ecclesiastes, Cantica Canticorum.

¶ Quibus satis apparet, olim controuersum fuisse, an Sapientia, & Ecclesiastici libri fuerint à Salomone conscripti & canonici. Nam præter Gelasium Clemens summus ecclesie Pontifex huius nominis primus in canonibus Apostolorum, canone 84. tantum inter canonicos libros, tres priores nomine, ac titulo Salomonis recepit duorum posteriorum nulla mentione facta. Origenes in enarratione primi Psalmi numerum sacrorum librorum, qui ex Veteri Testamento in canonem fuerint relati apud Hebræos, & demum apud Ecclesiasticos enumerans, eiusdem opinionis est auctore Eusebio libro 6. ecclesiast. hist. cap. 21. cui subscribit Nicæphorus libro 5. cap. 6. Concilium Laodicenum sub Liberio Papa

celebratum anno fere CCCLXIII. provinciale quidē, sed receptum, ac conformatum in sexta generali Synodo. admonens, qui sint libri canon. cap. 59. tres tantum priores qui Salomonis sunt, connumerat: Sapientiam & Ecclesiasticū omittit, quasi definiens, eos esse extra canonem, quod Damascenus lib. 4. cap. 18. Hieronymus in prologo Galeati in libros Regum, & in epistola ad Chromatium, & Heliodorum, ac Rufinus in expositione Symboli, palam affererāt. Et præter hos Gregorius Nazianzenus in eo carmine, quod de sacris libris scripsit. Basilius item in Homilia, quam in principium Proverbiorum elaboravit, & Cyrillus Hierosolymitanus cathesi quarta E contrario litera, quæ ab Burchardo ex Gelasio refertur, conuenit ecclesiæ Catholicæ autoritas. Nam in Concilio Florentino sub Eugenio quarto inter canonicos libros, Sapientia, & ecclesiasticus recepti fuerunt his verbis Psalmi Dauid, Parabola, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus. Sed & Conciliū Provinciale Carthaginense, cui Diuus Augustinus interfuit, confirmatum in sexta Synodo, cap. 47. multo ante Florentinum eisdem liberis receperat. Palterium, inquit, Dauid, Salomonis libri quinque. Quibus itidē verbis hos libros inter canonicos adnumeravit Innocentius Papa ad Exuperium Tholosanum Episcopum. Synodus item Tridantina sub Paulo Tertio idem probat. Etenim inter canonicos libros ab ea censentur Parabolæ Salomonis, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus. Quibus manifeste apparet, non esse hac de re disputandum, nec controuertendum post ecclesiæ Catholicæ apertissimam definitionem, cui est omnino accedendū. Nam & veteres Theologi, Origenes inquam, Clemens Alexandrinus, Chrysostratus, Ambrosius, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, & alii passim his libris, & canonicis, vti fuerunt imo & plerūque titulo & nomine Salomonis eorum meminerunt. Dionysius etenim de ecclesiæ Hierarch. cap. 3. vbi locum quendam adducit ex Theologia, eius interpres Maximus obseruauit, vsum fuisse in eo loco citando eo libro Salomonis, qui Sapientia inscribitur, idemque Pachymeres fecit ipsius libri verba referens ex cap. 5. Iustū autem in perpetuum viuent. Sed & D. Augustinus lib. 17. de Ciuitate Dei, cap. 20. & lib. 2. de doctr. Christian. cap. 8. testatur, eisdem libros in autoritatem canonicorum receptos fuisse. Idem asserit Isidorus lib. 6. Etymol. ca. 1. quod diligenter tractat. Ioan. Dried. lib. 1. dogmat. eccles. qui & illud inquit, an hi libri fuerint à Salomone scripti. Si quidē constat ex Prologo eiusdem operis, librum, qui ecclesiasticus dicitur, scriptum fuisse à Iesu filio Syrach, & nepote Iesu. Imo par est & ex eodem prologo, & his quæ scribit Damascenus lib. 4. ca. 18. sensim deducitur Iesum patrem Syrach librum illū Hebraicæ scripsisse, eius vero nepotē Iesum filium Syrach eundē in Græcā tradidisse linguā tempore Ptolomæi Evergeris Regis Ægyptij, cuius author ipse nullā mentionē fecit. cap. tamen vltimo meminit Simonis Magni Pontificis Onix filii, cuius ætate apud Ægyptios regnabat Ptolomæus. annis fere ducentis ante Christi natiuitatem. atque ideo de auctore huius libri vere nulla fuit olim cōtrouersia. sicuti ex Damasceno, Hieronymo, Augustino, Isidoro, & aliis constat. De auctore autem libri, qui Sapientia inscribitur, maior fuit apud veteres disceptatio. frequentiori tamen sententia receptū est, eius auctorem non fuisse Salomonem, sed Philonem Iudæū, qui Græce id opus scripsit. Quod Hieronymus & Isidorus ex aliorum assertione tradidere. Philonem vero hunc opinamur non esse illū, cuius opera Græce & Latine vulgo circumferuntur, qui post Christi passionem floruit, & scripsit, quamuis id falso æstimauerit Lud. Viues in Augustinum d. c. 20. post Petrum Galatinum lib. 1. cap. 4. Nam præterquam quod Eusebius, Hieronymus, & alii, qui omnium operum Philonis iunioris meminere, hunc librum eidem minime adscriperint, vt patet ex Eusebio lib. 2. eccles. histor. cap. 18. Nicephoro lib. 2. ca. 17. & Hieronymo de rescript. eccles. Illud profecto maxime conuincit, Philonem Sapientia auctorem, multo vetustiorē esse quam Iun. Philonem, quod Sapientia liber inter Propheticos, & veteris Testamenti libros fuerit semper ab authoribus ecclesiasticis, ab ipsa denique ecclesiā Catholica post Conciliū Carthaginense Tertium connumeratus, vnde necessario sit, eum scriptum fuisse ante Christi aduentum. Cautius igitur Driedonius libro 1. de Dogmat. cap. 2. par. 2. asseuerat Philonem qui auctor fuerit huius libri, aliū ab eo Philone fuisse, qui post Christi passionem Græce, & ele-

ganter præclara opera ediderit, fuisseque illum hoc vetustiorē fere ducentis annis. Nam & Philonis senioris, qui auctores Iosephus Antiquitatib. & Eusebius lib. 9. de preparat. Euang. cap. vltim. Quem & Hebræum fuisse constat, vt distinguamus duos Philones Hebræos à Philone Byblio, cuius idem Eusebius meminit lib. 1. de prepar. Euangelicæ, cap. 4. & præter eum Suidas. De his autem libris, nempe Sapientia, & Ecclesiastico D. Augustinus in d. cap. 8. scribit de quadam similitudine Salomonis dici & cōstantissime perhiberi, Iesum filium Syrach eos scripsisse. Id ipsum idem Augustinus repetit in d. cap. 20. asseuerans, consuetudinem obtinuisse propter similitudinem, & affinitatem, vt hi duo libri Salomonis dicantur. Verque enim propter eloquij similitudinem, & cognitionem rerum, quæ à Salomone tractantur in Proverbis frequentissime à veteribus Theologis, & quandoq; in conciliis ecclesiæ titulo, & nomine Salomonis citantur. Quod lector facillime poterit obseruare apud Burchardum, & Conciliū Carthaginense Tertium, Origenem super epistolam ad Romanos præsertim capitulo, octauo. Apud Cyprianum in epistola ad Rogatianum, qui titulo Salomonis citat librum Ecclesiastici. Idem fecit Chrysostratus cum alibi, tum in Homilia super ca. 26. 2. Paral. de Ozia, & humilitate quamuis Latinus interpres nomen mutauerit. Idem Chrysostratus in priorem ad Corinth. Homil. 34. sic & Ambrosius in d. de quatuor. qu. difficultibus, & super Psalmum 118. librum Sapientia Salomoni tribuit. [Et Cyprianus libro de immortalitate anime, & libro de exhortatione martyrii. Tertull. libro de prescript. hæret. Basilius lib. 5. contra Eunom. & Hilar. in ps. 118.] idem fecit Laërtius li. 4. c. 16. Et Damascenus in d. c. 18. licet ipsum extra Canonem fuisse scriperit: Sic enim interpretantur quidē eiusdem authoris verba, quibus asserit, libros Sapientia & Ecclesiastici in arca veteris Testamenti, nec fuisse cum aliis repositos. tamen si quod Driedo. li. 1. cap. vltim. ex lib. 4. Eusebii. de histor. ecclesiast. ca. 22. tradiderit, non probet, veteres auctores vere existimasse, librum Sapientia à Salomone scriptum fuisse. Est enim Eusebii locus, quicquid Dried. voluerit, intelligendus de Proverbis Salomonis, qui liber & Sapientia dictus est à veteribus Theologis. Ita sane scripsit Græce Eusebius lib. 4. cap. 22. de Egesippo tradens: *ἰσχυροῦς ὁ λόγος, ἀλλὰ καὶ ἱερῶν, ὅτι πῶς οὐ τῶν ἀρχαίων γράφει, πάντες οὖν οὐκ οἶδον πῶς οὐ παρονομασθεῖς ἴσταντο.* Verum non tantum hic sed & Irenæus, & omnis antiquorum chorus virtute omni referant, Sapientiam Proverbia Salomonis vocat. sic fere Græca vertenda sunt in Latinam linguam ex Nicephoro lib. 4. cap. 7. cui interpretationi iussuragatur, quod idem Eusebius scribit libro 4. cap. 26. vbi ex Melitonis epistola tradens libros Canonicos Veteris Testamenti, inquit, Psalmi Dauid, Salomonis Proverbia, quæ & Sapientia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Iob, Prophetæ, & reliqua. Idem Nicephorus lib. 4. cap. 10. vt obiter Græcus Eusebii Codex ita sit intelligendus, vbi capitul. 26. legitur *Σαλωμῶνος πνευματικῆς ἐπιστολῆς* vt articulus præpositiuis adiungetur significanter ad interpretandum id, quod præcessit. Salomonis, inquam, Proverbia, quæ & Sapientia, aut fortassis Episcopus ille Sardiensis, licet Ecclesiastici librum omiserit, Sapientiam tamen Salomoni tribuit. Etenim huic interpretationi Græca litera minime aduersatur, imo accedit, etiam latino codice refragante, & præterea non desunt ex veteribus, qui idem scriperint. Sed obseruata Eusebii litera, quæ Græcis characteribus vulgo traditur alio in loco, eadem ratione & Latinus Eusebii liber est mendadus. Nam capit. 22. scribitur, verum & hic ipse, & Irenæus, & omnis antiquorū chorus librum, qui intulatur Sapientia, Salomonis esse dixerunt, sicut & Proverbia. Hæc enim Latina traductio aliena est à Græca lectione, & à vero authoris sensu. non me later, Eusebium lib. 8. de demonstratione Euangelicæ, cap. 2. constanter asseuerasse, Iesum filium Syrach scripsisse *τὸν κεραιώδη μανδύον οὐκίαν*. Sed ipse opinor de ecclesiastico locum illum fore intelligendum: nam illum scripsisse Iesum filium Syrach constat. fortassis & de Sapientia locus ille poterit intelligi, vt Eusebius velit, eam scriptā, fuisse à Iesu filio Syrach, & habuisse nomen illud peculiare, quod in d. cap. 22. ex veterū autoritate adscriperat Salomonis Proverbijs. Etenim idē Eusebius li. 11. de præp. Euang. c. 7. *καὶ ἄλλοι οὐκ οἶδον.* Sapientia librum intellexisse videtur, & eū Salomoni tribuit vt constat ex c. 7. Sapientia. Tu vero, Christiane lector, illud cōstantissime tene quod Ecclesiastica in præcritis Synodis, & Canonib. definitiua *lib. 11. de præp. Euang. c. 7. καὶ ἄλλοι οὐκ οἶδον.* De hoc libro Iusquam fuit apud Hebræos

controuersum, nec apud Christianę religionis proflores.

Nam & ab initio ecclesię in canonem fuit receptus. De auctore vero licet varie fuerint opiniones, illud est frequenter iudicio probatum, librum istum vel ab ipso Iob, vel ab amicis eius sermone Syro scriptum, à Mose tandem in Hebraeam linguam traductum fuisse. Huic opinioni accessere Origenes in *Prologo*. Ildorus *lib. 6. Etymol. cap. 2.* August. Eugubinus in adnotationibus super *Genel. cap. 1.* nec dissentit. D. Gregorius, q̄r hac, & alius opinionibus præmissis vere ferbit, satis esse quod credamus, huc librum scriptum esse ab spiritu sancto. illa tandem obiter adnotabimus, Iob verum sanctissimum genus duxisse ab Esau, & quantum ab Abraham fuisse. Siquidem Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Elau, Elau Raguelm, Raguel Zaram, Zaram genuit Iob: quam deductionem probare conantur Origenes in *prologo*, Chrysothomus in *Hom. 2. de patientia Iob*, qui cum appellat pronepotem proiecti, repudiatque Esau. idem Chrysothomus sermone in Iob, & Abraham, idem sentit. in *Hom. 80. ad populum*. [Et Georgius Cedrenus in Epitome ex Africano.] His subscribere videtur D. Augustin. *de ciuit. Dei. lib. 18. ca. 47.* qui de Iob. scribit, eum ex gente Idumæa genuisse ducere. Nam & Esau dictus est Edom. *Gen. 25.* & ab Edom Idumæa terra, authoribus Iosepho *lib. 2. cap. de antiq. & Aug. lib. 16. de ciuit. Dei. c. 35.* atque iterum Iosepho *lib. 5. c. 3.* & deducitur ex *cap. 11. 3. Regum. c. 34. Esau.* ad hæc accedit, quod Eusebius *lib. 9. de preparat. Euang. ca. 4.* refert, Arislaan in huiusmodi historia existimasse Iob filium fuisse Esau, & habitasse Idumæa, & Arabiæ finibus, in Auiside terra. Sed & prologus *lib. Iob.* adscriptus apud Græcos, & Latinos etiam tempore Hieronymi, & ante ipsum, communique consensu receptus, rem istam amplius aperit his verbis, Erat autem ipse filius quidem Zare, de Elau filius filius, de matre vero Boita, ita ut sit quintus ab Abraham. Hæc in eo Argumento, licet Hieronymus super Iob, & in questionibus Hebraicis ab hac distulerit sententia, exitumque, Iob non ab Elau, nec ab Abraham, sed à Nacor fratre Abraham, & eius vxore Melchæ, sorore Saræ, & His filio Nachor originem, ac genus duxisse. Nec accedit prologo, aut argumento, quod libro hæc adscriptur ex eo, quod apud Hebręos non reperitur. Eadem deductioni, ac Genealogiæ accedit Philippus presbyter, qui paulo post Hieronymum scripsit super huc Prophetam, cuius opinionem refert Ludou. Viues in *d. capit. 47.* Sed ipsius prologi auctoritate ut certa, & probatissima vtuntur Chrysothomus, Origenes, Augustinus, & præter eos Ambrosius *li. 2. de interpellatione*, vt tandem non liceat contra stimulum calcitrare. Nam & Eusebius *lib. 1. de demonst. Euang. Iob* quantum ab Abraham fecit.

*Tobia liber vnu.* Hic liber olim dubiæ fuit auctoritatis ex eo, quod inter Canonicos apud Hebręos minime fuerit numeratus, auctore Hieronymo in prologo Galeato in libros Regum Et in prologo in opera Salomonis, fuit & his liber omniſus quasi ad Canonem non pertineret à beato Clemente in canonicis Apostolorum, *ca. 84.* & à concilio Laodiceno cuius superius meminimus sub Liberio Papa celebrato. Sed & hunc librum omifere canonicos omnes veteris Testamenti, numerantes Origenes, Damasc. & Ruffin. quorum paulo ante mentionem fecimus. Meliton etiam Sardin. Episcopus apud Euseb. *lib. 4. c. 26.* & Nicephorum eiusdem *lib. 6. ca. 10.* Verum post concilium Carthagi, tertium ecclesie, ecclesiasticique scriptores, librum istum canonicum esse minime dubitarunt, siquid receptus est inter canon. à Synodo tertia Carth. à Sinodo Florentina atq; ite, nuper à Tridēto cōcilio. Eundē inter canonicos D. Aug. retulit *li. de dat. Christi. c. 8.* & Ildorus *li. 6. Ety. c. 2.* adducitur eius historia à Clemente Alex. *li. 1. Stromatū*, & inter canonicos refertur ab Innocentio primo ad Exuperiū Tholosanū Episcopū, vt tandem nihil sit hæc de re controuersandū. Contigit autem Tobia historia, quod ex eadem apparet, in diebus Salmanasar, & Senacherib. Assyriorū Regum, qui regnarunt temporibus Ezechie Regis Iudæ. *4. Reg. capit. 17.* & paulo post Romam conditam, ex Eusebio in Chronico. *Esdra liber vnu.* Quamuis à Clemente in canonicis Apost. *cap. 48.* fuerit hic liber omifus, attamē apud Hebręos olim, & apud Christianos absque vlla controuersia, conciliorū, & veterum Theologorum auctoritate in canonem fuit receptus, quod Origenes, Eusebius, Damascenus, Meliton, Innocentius primus, Hieronymus, Augustinus, Ruffinus, Ildorus, & alij palā vnanimi consensu testantur. Duo vero

sunt Esdræ libri apud Hebręos canonici in vnū volumen cōnexi. Priorem scripsit ipse Esdras de rebus gestis prius, quæ ex Babylone in Hierusalem accederet Neemias posteriorē Neemias scripsit de rebus eodē tempore gestis, & de ædificatione Hierusalem ab Hebræis hi duo libri in vnum volumē coarctatur, apud Græcos & Latinos in duos libros distinguntur, quod Hieronymus adnotauit in Epistola ad Paulinum, & in prologo in Esdras, & in præfatione in libros Regum. Dicitur autem secundus liber Esdræ, quia continet res gestas sub Esdra, & Neemia. Ea vero, quæ in his libris traduntur, contigisse apparet sub Artaxerxe, cuius anno 7. claruit in Babylone Esdras. Neemias vero anno 20. eiusdem. quod deducitur ex *cap. 7. 1. Esdra & ca. 1. Esdra secundū*. Quis autem fuerit hic Artaxerxes, cōtrouertitur. Nam Iosephus *libro 11. antiq. Ioan. Zonares in 1. Annalium Tomo. & Calet. super Esdras*, existimant, fuisse Xerxem, qui fuit filius Darij, & pater Artaxerxis, qui dictus est Longimanus. hanc sane opinionem ratio temporū excludit, cum constet ex *cap. 1. 2. & 3. atque vltimo Esdra secundū*, illum Artaxerxem cuius tempore fuerunt Esdras, & Neemias, regnasse annis 30. & denique pluribus. Xerxes vero ex fide historicorum omnium tantum 20. regnauit annis, aut saltem eius regnum ad 13. annum non accessit. Ioan. Dried. *lib. 1. de dogmat. ecclē. ca. 2. part. 1. lib. 3. cap. 5. part. 3.* post Seuerum Sulpitium *lib. 2. sacra histor.* probare conatur, hanc historiā contigisse sub Dario Mnemone Magno Artaxerxe post olympiaden 91. & annum ad vrbe condita 338. tunc enim regnare cœpit Artaxerxes hic Mnemon, cuius vitam Grace Plutarchus scripsit. huc opinioni accedit quod auctore Philone, Elias Sacerdos Magnus fuit sub Artaxerxe Magno Mnemone, idque in Chronologia fatetur Ioan. Lucidus. Contra autem ex sacra scriptura, Esdras, & Neemiam vixisse ad annum vsque 13. & vteriores illius Artaxerxis, sub quo sacerdos fuit Elias *Esdra 2. cap. 3.* Nam & Iosephus Neemiā sub sacerdotio Elias posuit. Verum, quia Philonis scripta dubia multis videntur, ea fortasse ratio temporum verior est, quæ ab Eusebio in chronico traditur. Is etenim hanc Esdræ historiā adscribit Artaxerxi, qui Longimanus dictus est. idem tradidere Iulius Africanus, & Eusebius *lib. 8. de demonst. Euang. cap. 2.* Hieron. in *Daniel. cap. 9.* Beda & Contractus in *Chronicis*. Ioan. Lucidus *li. 7. de emend. temp. cap. 3.* idem, ni fallor, sentit Georgius Cedrenus in Epitome, qua in re illud erit omnino obseruandum, apud Philonem, Metasthenem, ac alios, hæc nomina, Artaxerxes, Darius, Assuerus, & alia cōmunia fuisse regibus Persarum, sicut Romanorū Imperatoribus, Cæsar. Babylonij regibus Nabuchodonosor, Ægyptiorum principibus Pharaones id ipsum & quandoque ex sacris Bibliis deducitur, vt tandem multa hinc possint expedite intelligi, quæ alioqui difficilia censerentur.

*Hester liber vnu.* Rursus & de hoc libro nulla apud Hebręos & Christianos fuit vnquā controuersia, nam & ab omnibus fere authoribus ecclesiasticis, & Synodis ecclesie, de quibus paulo ante mēto facta est, item & à Clemente in canonicis Apostolorū, *ca. 84.* in canonem fuit receptus, atque ideo nihil opus est, vt hoc in loco immoremur. Illud tamē erit obseruandū, quod in hoc libro narratur contigisse in diebus Assueri, vt patet Hester *ca. 1.* qui dictus est Magnus Artaxerxes Mnemon authoribus Eusebio, Beda, Hermano Cōtracto, Seucro Sulpicio *lib. 2. Sacra histor.* Ioan. Lucido in *Chronicis*, Iornande *li. de regnorū successione.* & Dried. *de dogma. ecclē. li. 1. c. 2. part. 1. & li. 3. cap. 5.* quorum opinionem sequimur, quamuis Iosephus *li. 11. Antiquit. c. 6.* quem sequi videntur Ioan. Zonaras in *1. Annal. Tomo. & Calet. in c. primum Hester*, existimet, hunc Assuerum, siue Artaxerxem fuisse Cyrum Xerxis filium, & Georgius Cedrenus in Epitome Artaxerxi Longimano hanc historiā tribuat. Nam ex Xenophonte, Plutarcho, Eusebio, & Hermano Contracto constat Artaxerxem cognomento Mnemona filium fuisse Darij ex Parlatide, ex qua Darius habuit duos filios, maiorē quidem natu Artaxersem hunc Mnemona, minorem vero Cyrum nomine. Parlatidis autem fuit filia Artaxerxis, qui dictus est Longimanus. quæ & præter duos filios, qui de regno contenderūt, duos alios ex eodē Dario, qui Nothus dicebatur, concepit & habuit, auctore Plutarcho. Item ex Regibus Persarum primus dictus ex Cyrus Cambysis filius, cuius mentio fit *cap. 1. Esdra.* item à Iosepho, Eusebio atque August. *de ciuit. Dei. lib. 18. cap. 26.* & aliis Ethnicis scriptoribus, cuius educationem & institutionem Xenophon Grace,

& eleganter scripsit. Post hunc Græci & Latini historici Cyrum minorem appellant, fratrem huius Artaxerxis cognomento Mnemonis, Darii Nothi, & Parisatis filium cuius expeditionem idem Xenophon, qui sub eo militavit lingua Græca scribit. Ceterum quod Artaxerxes Longimanus dictus fuerit Cyrus, non constat ex probatissimis authoribus, præter Iosephum, & Zonarum. Immo Metasthenes tradit, Darium Longimanum fratrem habuisse in nomine Cyrum Artabanum, qui cum eo de regno dimicauerit. Habet & ratio temporum, quam in hac historia obseruamus, authorem Philonem, cuius de temporibus breuiariū vulgo legitur lib. 14. inter Io. Annii Viterbiensis cōmentaria, quorum fides à multis improbat, eo, quod vere vetustissimorum authorum fragmenta, vel ipse Anniiu confinxerit, vel absque villo integræ fidei testimonio in publicum emiserit. Nam Ludouic. Viues in Augustinum de ciuit. Dei, li. 18. cap. 1. hos libellos friuolos esse dicit & incertorum authorū quosque ad stupefaciendos imperitos lectores Græcia luserit otiosa, nec esse illorum, quorum titulos præ se ostendant. Faber Stapulensis in Aristotelem lib. 1. Polit. existimat, hunc Berosum, atque Metasthenem, quorum fragmenta Ioan. Annii studio tradiderit, scriptores fictitios esse. Idem asseuerat Ioannes Vergara ecclesiæ Toletanæ Canonicus, vir omnigena eruditione Græcæ, & Latine insignis in q. 5. De reparatione templi Hierosolymitani. Beatus item Rhenanus l. 1. rerum Germanicarum, ubi de Alimanis tractat, sed omnium, inquit, ineptissimus est Anniiu quidam in Berosum, authoris fabulosi fabulosior interpret. nam quoties ille hircum mulget, iuxta Prouerbum, hic cribrum supponit. Hęc Rhenanus cui suffragari videtur Gregorius Cyprius de diis gentium. Syntagma. 4. scribens Ioannis Annii scripta doctrinam exoticam & fere superstitiosam redolere, esseque commentitiā. idem probare conatur diligenter, & magno cum iudicio Io. Goropius post tertiam huius operis editionem in imaginibus. lib. 4. [Et Melch. Canus. l. 1. de locis Theolog. c. 6.] Rursus Gulielmus Postellus in lib. de Hecuria, non semel contendit, fragmenta illa, quę Berosi nomine Ioannes Anniiu vulgo tradidit, vere illius esse Berosi, cuius veteres authores maxima cum veneratione meminerunt. Sed hęc satis de fide, & autoritate Breuiarij, quod Io. Anniiu Philonis titulo publicum fecit

[Et id profecto temere, multa enim in eo libro, & in his, quę ab ipso Io. Annio cum eo editi fuerunt, adeo veritati contraria sunt, vt nullo pacto defendi queant. Vnde & quę Philo tradit de Mardochei ætate incerta, sunt, & si necessaria admittenda, vt quidam opinantur, si Hester hist. sic Artaxerxi Mnemoni tribuenda, etiā admilla regum Persarū serie, quę ab eodem Philone traditur, eum & qui eum sequuntur, fateantur plane, Mardocheum translatum fuisse in Babylonem cum Iechonia rege, iuxta literam. 2. capi. Hester. Quod si Hester historia esset adscribenda Artaxerxi Longimano, minor ætas Mardochei, etiā cum Iechonia translata, sufficeret, sicut & multo minor, si eadem ad tempora Darii Hystaspis referatur, quod Nicolaus Lyra, & Io. Bene. probare conantur. Quidā tamen, eadem gesta ad Astyagen, aut Cyaxaren Medorū reges referre videntur. Quorū opinio refelli potest ex 1. c. Hester. Cōstat siquidē nec Astyagen, nec Cyaxaren tantum Imperium in Asia obtinuisse, quantum ibi Hester marito tribuitur. Quin & Astyages & Cyaxares reges fuere tantum Medorū, nō Persarū: at Affuerus maritus Hester & Persarū & Medorū fuit. His accedit, quod D. Hieron. quoties mariti Hester meminit, adscripsit successores Cyri magni constituere videtur. Quod si facta Mardochei & Hester, tempore Darii Hystaspis, aut Artaxerxis Longimani contigissent, iuxta, aliorum sententiam, profecto. vt par est, ea Eldras, & Nehemias minime tacuissent. Denique sequutus sum eam opinionem, quę veterum & iuniorum authorum consensu magis recepta videtur, vt ea quę narrat Hester historia Mnemoni tribuatur. Quę tantum ex Mardochei ætate vix defendi potest. nisi literā, quę ex vulgata editione necessario admittenda est, in eum sensum accipiamus, vt Mardocheus dicatur translatus in Babylonē, cum Iechonia ex eo, quod originem duxerit ex his, qui cum Iechonia capti, & traslati fuerint in Babylonē. Quam interpretationem Melchior Canus ex eo probat, quod Esdra c. 2. numerentur illi, qui ascenderunt de captiuitate, quam translulerat Nabuchodonosor, & reuerſi sunt in Iudæam, quorum quidam non venerunt in Babylonem,

sed patres eorum. Nam Zorobabel in Babylone genitum fuisse ex Math. c. 1. constat & 3. lib. Esdra. c. 5. legitur. sunt autem hi qui ascenderunt ex Iudæa & c. quorum vnus est Zorobabel, & quamuis hanc interpretationē idem vnus est Zorobabel, vt violentam non fore a multis admittendam, suspicetur Caietanus tamē in 1. c. Hester, verba illa Mardocheus fuit de Ierusalem, eodē tempore quo Iechonia regis Iudæ translatus Nabuchodonosor Rex Babylonis trāstulerat, sic interpretatur, vt pronomē, qui non ad Mardocheum, sed ad Ciseius proauum referatur. D. etiam Hieron. dum Artaxerxi Mnemoni historiam Hester tribuit, quam regū Persarū seriem, & quot annis regnauerint, diligenter tradiderit alterum ex duobus fieri videtur, Mardocheum captiuitate accessisse, quæ ducentos annos excesserit, vel non cum sed eius porauum translatus fuisse, quorū prius nolum viro, etiam in historia præsertim sacra Scripturæ doctrinam tribui. Posterius vero etiā difficillime probari possit, eundem Hieronymi autoritate, non temere licebit admittere. Nam & Latina ex Chaldæo, & Græco interpretatio, huic sensui potius suffragari, quam aduersari videtur. Ex græco enim sic latine legitur: Homo erat Iudæus in Sushitate, & nomē ei Mardocheus, filius Iair, filii Semei, filii Cis, de tribu Benjamin, qui fuerat captiuus ex Ierusalem, quam captiuauit Nabuchodonosor Rex Babylonis. Ex Chaldæo vero; nomē eius vocabatur Mardochei, filius Iair filii Singhi, filii Cis viri, qui fuerat de tribu Benjamin, qui lerat in captiuitatem ex Ierusalem, cum captiuitate quę abducta est cum Iechonia. Ex quibus fortassis non omnino aliena à vulgata editione Caietani interpretatio videbitur. Quam & ante Lautanum veram esse censuit Burgenſis quamuis & ipse ingenue dubiam esse non negauerit c. 2. ibid. de dogma. Eandem opinionem amplectitur Rayner. lib. de familiis de Medorum regnis. Hac quidem explicare libuit, vt in re, quæ dubio procul varias opiniones admittit, rationem redderem, quam communem secutus fuerim sententiam. Nam quod de Dario Medo scribit Cedrenus asseueras eius vxorem fuisse Hester, mihi non potest persuaderi, præterquam quod ipemet sibi apertissime refragatur.]

[Iudith liber vnus.] Liber hic tanquā à Canone alienus & extraneus, omissus olim fuit ab Origene, Damasceno, Rufino Hieronymo, & Melytone Sardisensi, atque item à Clemente in Canonibus Apostolorum, & à Laodiceno concilio. Hi etenim authores existimant, librum istum Canonicum non esse, cuius tamen testimonio passim veteres Theologi vsi fuerunt. quin & Augustinus, sicut etiam inter canonicos eum connumerant, sed, ab ecclesia Catholica in concilio Carthaginensi tertio, Florentino item, & Tridentino in canonem iam est receptus vt tandem hac de re non sit dubitandū. Nam & Hieronymus in prologo testis est à Nicegna Synodo in numerū sanctarum scripturarū relatus fuisse. Et cum inter canonicos refert Innocentius primus ad Exuperium Tholosanum Episcopum. Eius vero historia & temporibus Nabuchodonosor regis Assyriorum contigisse constat tametsi ambiguum fuerit, quis sit hic Nabuchodonosor, vt ex eo sit certior ratio temporis, & sane illud videtur verius, hunc Regem Nabuchodonosor fuisse Cābysem, qui Cyro primo Persarum Regi successit, qui quæ dictus est Artaxerxes Affuerus Priscus. Huius opinionis sunt Eusebius, & Beda in Chronicis. Philon, & Io. Annii quos sequitur Dried. l. 1. & 3. de dogmat. eandē historiam Artaxerxi, qui statim post Cyrum maiorem obtinuit imperiū, adscripsit. Georgius idē Cedrenus in Epitome, Dario, qui & Cābyses dictus est, Cyri Maioris filio. Sed & Eusebius secutus, eandem rationem probat Hermanus Cōtraetus. Idem fere sentit D. Augu. li. de ciu. Dei. 8. q. 26. qui cum meminisset Cyri primi Persarū Regis, scribit, per idem tempus etiā illa sunt gesta, quę cōscripta sunt in li. Iudith. quem in canonem scripturarū Iudæi nō recepisse dicuntur. Hęc Auguſt. qui li. de doct. Christi. c. 8. hunc librū inter Canonicos cōnumerat quod si authori. Eusebio, & Græcis historicis Cambyses nō regnauit vltra sex, vel octo annos, quibus & Iosephus accedit, quo pacto poterit eidē conuenire historia Iudith, cuius c. 1. & 2. cōstat, saltem tredecim annis hunc Nabuchodonosor regnasse? isti difficultati, quāuis Eusebius, & qui eius Chronicon sequuntur non possint cōmode satisfacere, respōdent tamen qui Philonem & Metasthenem fuerint secuti. Hi etenim asseuerāt, Cambysen post Cyrum Maiorē annis

viginti regnasse. idem ex Græcis scribit Clemens Alexan-  
drinus. qui asserit. cum annis vnde viginti regnum obti-  
nuisset. Eodem Valerius Aufelmus tribuit viginti annorum  
principatum. Hi vero auctores. præter Clementem qui eum  
Cambysen nominat. qui post Cyrum maiorem regnavit.  
hoc minime videntur. sed Prisci Assueri. Scuerus autè Sul-  
picius. 2. *Sæta hysto.* præter aliorum opinionem. Iudith faci-  
mus tribuit regno Artaxerxis Ochi. qui Artaxerxi Mne-  
moni successit. [Qua ratione illud fortassis erudito lectori  
magis placebit Iudith historiam. & Darii. qui post Magos  
Persarum Imperium obtinuit. tempora pertinere. Quod di-  
ligenter Geradus Mercator deducit. quum & ex Herodoto  
ita constet Medos sub hoc Dario rebellasse. & iterum subiu-  
gatos esse. Idq; sacre de Iudith enarrationi cõuenire maxi-  
me videtur.] In hoc tamen Regum Persarum catalogo est  
necesse quodnotandum. Græcos historicos. Eusebium itè.  
et Latinos quoddam potissimum deservire à Philone. Meta-  
sthene. & aliis. quos sequuntur Driedo. & Io. Lucidus. Appo-  
nam hoc in loco libenter vtramque chronologiam. qui &  
ad intellectum sacre scriptura. & veterum authorum plurimum  
cõducit. nec aliena est hæc observatio ab hoc libro. in quo  
varia cõstitutimus adnotare ad sacra Biblia ecclesiæ cano-  
nes. Iuriscõsultorum. & Cæsarium responsa interpretada.

## Ex Metasthene.

Cyrus victo & interfecto Babylioniorum Rege Baltha-  
sare. in Persas. Assyriorumq; transitulit imperiũ. regnavit  
que simul cum Dario duobus annis. Solus vero postea duo-  
bus. & viginti. Hæc Metasthenes. cui Philo addit. Darium  
filium fuisse Hytaspis. Huius Cyri metio fit *ca. 1. Esdr.*  
Sed & præter Metasthenem. & Philonem Ioseph. *li. 10. c. 13.*  
tradit Darium Astiagis filium annũ agentem sexagesimum  
seculum cum Cyro cognato suo Babylioniorum princi-  
patum evertisse. eum Hieronimus super Danielẽ sequitur  
*ca. 5. & 6.* passim in eisdem Commentariis. præsertim *ca. 8.*  
quo in loco scribit. hunc Darium à Græcis dici Cyaxarem  
fratrem Mandanes. quæ fuit filia Astiagis Medorum Regis.  
uxor Combylis. & Cyri mater. idque cõstat ex Xenophote  
*li. 1. de Pædia Cyri.* id est. de educatione. aut institutione Cyri. & Iornan-  
des *li. 1. de temporum. ac Regnorum successione.* Ex ipsa denique Da-  
niel's historia deducitur manifeste. hunc Darium cum Cy-  
ro simul Babyloniã. eiusque Regem Balthasarem cepisse. &  
post eum regnasse apud Assyrios. quemadmodum observari  
poterit ex *ca. 6. 9. 10. & 11.* & mirer interim cum apud Philonem  
dicatur hic Darius Hytaspis. cũ potius dicendus foret  
Darius Astiagis. Sic & à Metasthene Cyrus dicitur Patruus  
Prisci Artaxerxis. qui fuit huius Darii filius. & tamẽ Cyrus  
non fuit eius Patruus. sed filius Mandanes. quæ fuit soror  
Darii. atque ita amita Artaxerxis. si is filius Darii vere fuit.

Priscus assuerus Artaxerxes Cyro Maiori successit in regno.  
secundum Philonem Hic filius fuit Darii primi. cum quo  
Cyrus regnaverat. obtinuitque regnũ. Ac regnavit viginti  
annis auctore Metasthene. quem Valerius Aufelmus. 10.  
Annius Driedo. & Io. Lucidus sequuntur.

Darius Longimanus filius Prisci Assueri Artaxerxis. cũ fratre  
Cyro Artabano septem mensibus pro imperio dimicavit.  
quo obtento. & fratre victo illud obtinuit annis 7. & 30.  
Metasthenes. Io. Annius. Driedo. & Lucidus. sed & Philo te-  
statur. hunc Darium Longimanum filium fuisse Prisci assue-  
ri. & cum fratre de imperio certasse.

Darius Nothus Darii Longimani filius annis vnde viginti  
regnavit post patrẽ. auctoribus Metasthene. Valerio. An-  
selmo Driedo. & Lucido.

Magnus Artaxerxes Darii Mnemon post Lõgimanũ annisquin-  
quagintaquinque obtinuit Imperiũ ex eisdem auctoribus.

Artaxerxes Ochus annis sex. & viginti. Metasthenes & alii.  
Arjes annis quatuor. nostra ætate inquit vetustissimus au-  
thor Metasthenes.

Darius ultimus Rex sex annis ex eisdẽ auctoribus. postquem  
Magnũ Alexander obtinuit imperiũ. Ex quibus constat. hos  
Reges imperiũ obtinuisse centũ octuaginta & vno annis.

## Ex Græcis historicis.

Cyrus Maior Cambysis. & Mandanes. quæ fuit filia Astyagis  
Medorum Regis filius. auctore materno subuerso. Medo-  
rum principatum. & demum Babylioniorum Rege victo Assy-  
riorum imperium in Persas transtulit. regnavitque annis  
triginta. auctoribus Eusebio. & Hermanno Contracto in  
*Chronica.* Iustino *li. 1.* & Clemente Alexandrino in *primo Stro-*

*mat. li.* Hunc vero Cyrum fuisse primum Persarum Regem.  
qui Asia monarchiam habuit. tradiderunt precitati aucto-  
res. & Iosephus *li. 11. c. 1.* Xenophon in *Pædia Cyri.* Hiero-  
nymus super Danielẽ. & Herodotus *in 1.*

Cambyses Cyri filius post eũ octo annis imperiũ obtinuit.  
auctoribus Herodoto. Eusebio. & Hermanno Contracto. qui-  
bus fere cõsentiant Iosephus *li. 11. c. 2.* Ioã. Zonaras in *1.*  
*Annali. Tomo. Iornandes.* & alii præter Clementẽ Alexandri-  
nũ. qui *li. 1. Stromat.* asseuerat. hunc annis vnde viginti reg-  
nasse. Hic vero Cyro patri successisse passim omnes Græci  
fatentur. Iustinus item. & Hieronymus. eumq; fuisse Cyri  
filium scripsere Plato *li. 1. de legibus.* & Thucydides *li. 1.*

Magi duo fratres post hunc septem mensibus regnaverunt.  
auctoribus Eusebio. & Contracto. Horũ Iustinus *li. 1.* & ple-  
rique alij meminere. quorũ D. Hieronymus super Danielẽ  
*c. 11.* mentionẽ fecit scribens. post Cambysen regnasse  
Smerden Magnum. qui Pantampen filiam Cambysis duxit  
uxorem. quo occiso eandem filiam nupsisse Dario. qui statim  
suscepit imperium. & ex ea genuit filium. qui dictus  
est Xerxes ille Magnus. Herodotus vero *li. 7.* asseuerat. Xer-  
xem fuisse filium Darii. & Atosæ. quæ fuit filia Cyri Maior-  
is. idem sensit Iustinus *lib. 1.*

Darius Imperiũ habuit annis triginta sex. auctoribus [Hie-  
ronymo in *c. 4. Ezechiel.*] Eusebio. Herodoto. & Contracto.  
auctore vero Clemente Alexandrino *li. 1. Stromat.* annis quad-  
raginta sex. idem Iornandes scribit. Fuit hic Darius filius  
Hytaspis. vt idẽ Herodotus. Clemens. Eusebius. Contractus.  
& Iustinus *li. 1. Iosephus li. 11. c. 3.* cõmemorant. idem tradit  
Ioã. Zonaras. fuisse inquã hunc Darium filium Hytaspis &  
Magis successisse. Frequenter etenim apud auctores Darius  
hic Hytaspis à patre dicitur. Nam & eo tempore. quo reg-  
navit. hoc nomen obtinuit. seque ipse ita nominabat. sicuti  
constat ex Laertio in Heraclito. Sed & Plato *li. 1. de legibus.*  
observavit hunc Darium non fuisse Regis filium.

Xerxes Darii filius annis viginti regnavit. secundum Euse-  
bium. Contractum. Herodotum. Diodorum Siculum *li. 11.*  
Iornandem. & alios præter Clementem Alexandrinũ qui  
viginti sex annis Xerxem regnasse asseuerat. & Ioann. Zon-  
aram. qui eidem tribuit principatum Annorum fere no-  
uem. & viginti. Huius Xerxis meminere Iosephus *libro vnde-  
decimo. cap. quinto.* & Iustinus *libro secundo.* qui tradit cum fratre  
Artamene. eum de regno controuertisse. ex eo. quod licet  
Artamenes foret natu maior. Dario tamen priuato natus  
fuerat. Xerxes autem postquam Darius regnum habuerat.  
eandem historiam refert Herodotus *li. 7.* qui filium natu  
maiorẽ Artabazem nominat. atque hæc fortassis est illa  
controuersia. quam Metasthenes. & Philon Longimano ad-  
scribunt. Hunc Xerxem fuisse Darii filium Plato testatur  
*li. 1. de legibus.* qui & in Georgia scribit. hunc Xerxẽ in Græ-  
cos exercitum duxisse. eiusque patrem Darium in Scythas.  
Idem in Epitaphio primum Persarum Monarcham cõme-  
morat Cyrum. secundum Cambysen eius filium tertium  
Dariũ. eisdemque Persarum Reges. eodem ordine. & post  
quartum Xerxem *li. 1. de legib. repetit.* Huius Regis meminit  
& Diuus Hieronymus in Danielẽ *c. 11.* qui Daniel's locum  
de hoc Xerxe intellexit. dum illic scriptum est. Ecce tres  
adhuc Reges stabunt in Perside. & quartus ditabitur opib-  
us nimis super omnes. & cum inualuerit. diuitiis suis cõ-  
citabit omnes aduersus regnum Græciæ. Est etenim hic  
Xerxes ille Græciæ. & totius Europæ terror.

Artabanus Xerxis præfectus eo occiso regnum inuasit. &  
id obtinuit septem mensibus Eusebius. Iustinus *li. 3.* & alii.

Artaxerxes septimus Persarum Rex annis quadraginta reg-  
navit. Eusebius. Hermanno Contractus. Diodorus Siculus *li. 11.*  
& Iornades. aut vno. & quadraginta ex Clemente Alex-  
andrino. Dicitur est Lõgimanus. fuitque Xerxis filius. Plu-  
tarchus in Artaxerxe. Eiusdẽ meminere asseuerantes. eum  
filium fuisse Xerxis Iustinus *li. 3.* Diodorus Siculus *li. 11.* &  
Iosephus *li. 11. c. 6.* qui & illud addit. hunc dictum fuisse Cy-  
rum. quod & Zonaras in *1. Annalium Tomo* scribit. Sed & idem  
Iosephus *li. 1.* contra Appionẽ asseuerat. Artaxerxem Xerxi  
successisse in imperio. cuius testimoniũ referunt Eusebius  
*li. eccl. hist. 3. cap. 10.* & Nicephorus *li. 2. c. 18.*

Xerxes huius nominis Secundus. octauus Persarum Rex. ha-  
bit & obtinuit imperium duobus mensibus ex Eusebio in  
*Chronica.* & Iornandẽ.

Sogdianus nonus Persarum Rex. nouem mensibus regnat.  
auctore ipso Eusebio.

Darius

*Darius* cognomento *Nothus*, decimus Persarum Rex, regnavit annis vnde viginti, quemadmodum Eusebius, & Contractus opinantur. Clemens vero Alexandrinus existimat, eum regnasse annis octo. Huius Regis, & sequentium vsq; ad Magnū Alexandrum meminit Tertullianus in *li. adversus Iudaeos*, cap. de passione Christi. ab eius primo anno deducens Danielis Hebdomades, ut quod à Daniele scriptum est cap. 9. in primo anno sub Dario filio Assueri ex semine Medorum, de hoc Dario, sit authore Tertulliano intelligendum, quod à divi Hieronymi interpretatione omnino est alienū, etenim is hæc verba Danielis intellexit de Dario Medo, qui cum Cyro primo Assyriorum evertit imperiū. Sed & de initio adsumendo ad Danielis Hebdomades præter Hieronymum, & Eusebium *li. 8. de demonstratione Euang. ca. 2.* legendi sunt Io. Zonaras in *i. Annalium Tomo. 10.* Driedo de dogmatib. eccl. *li. 3. ca. 15. quarta eius parte.* & Io. Lucidus *li. 7. de emendat. tempo. c. 3.* & Petrus Galatinus *li. 4. c. 14. & seq.* Hunc vero Darium Nothum, filium fuisse Artaxerxis Longimani præter alios Thucydides fateri videtur *li. 8.* Et Paulianus id expressim asseuerat posteriori Eliacorum. Scribit & Seuerus Sulpicius *li. 2. Sacr. histor.* hunc Darium regnasse annis vnde viginti, dictumque fuisse Ochum, eo tamen in loco Nothū legendum esse censco.

*Artaxerxes* cognomento *Mnemon*, Darii, & Parisatidis filius annis quadraginta Persarum imperium habuit, secundum Eusebium, Contractū, & Tertullianum in *d. capit. de passione Christi*. Iordanem, & alios. At Clemens Alex. eum scribit regnasse annis duobus, & quadraginta. Plutarcho vero auctore, qui eius vitā Græce scripsit, regnavit annis sexaginta duobus. Sed & eius meminisse videtur Iosephus *li. 1. c. 7.*

*Artaxerxes Ochus* patri successit, sexque & viginti annis regnavit, authoribus Eusebio, & Contracto. Tertullianus vero scribit Deinde Rex Ochus, qui & Cyrus, regnavit annis quatuor, & viginti, huius item meminere Iustinus *l. 10.* & Plutarchus in *Artaxerxe*, fuitq; duodecimus Persarū Rex.

*Artes*, Ochi filius, decimus tertius Persarum Rex, regnavit, annis quatuor, secundum Eusebium, Iordanem, & Contractum. Clemens Alexan. cum Perfidis Regum ordinem, & successorem scriberet, post Artaxerxem Mnemona inquit, Artes vel Ochus tres annos, omisitque Artaxerxem Ochum, eius filium Arsem fuisse constat, ex Arriano *li. 2.* Tertullianus autem ita scribit, Argus anno vno, tractans de hoc Rege, vnde fortassis legendum Artes anno vno.

*Darius*, Persani filius decimus quartus Persarum Rex, & is quidem vltimus regnavit annis sex, authoribus Eusebio, Iordanem & Contracto. Huius meminit Plutarchus, Arrianus, Qu. Curtius, & omnes, qui res Alexand. Magni memoratæ tradiderunt. Nam ab ipso Alexandro. Darius hic victus fuit, imperioque priuatus. Præter hoc & Darii Iosephus meminit *li. 14. 7. & 8.* de quo Tertullia. scribit, & Darius Melas nominatus annis duobus, & viginti. Constat vero iuxta hanc Regum, & temporis rationem Persarum in Asia imperium ex ducentis ac triginta annis. Eandem temporis rationem, ut opinor, ex Eusebio Adon assumpsit & securus est.

Ex his poterit Lector observare, maximum esse discrimen inter Græcorum tantum historicorum, sed & Theologorum Chronologia, & eam, que ex Metasthene, ac Philone à Driedonio, Anthonio, & Lucido traditur. Verum apud me maxima est Platonis fides, qui nec de re admodum sibi incognita, nec insigniter antiqua, quod paulo ante eo retulimus, scripsit, ut interim missas faciam eius ætatis auctores, quippe qui tanti æstimum Platonis testimoniū, ut multorum loco propter eius integritatem illum citare decreuerim; [Sed & D. Hieronymus in *ca. 4. Ezechiel. & iu cap. 7. Daniel.* eandem seriem regum Persarum probat. Et post alios diligenter satis Reiner. *li. de familiis, Monarchia secunda.* ] quo fit, satis esse dubiam eam opinionem, quam in cōnumerandis Persarum Regibus ex Philone, & Metasthene quidam secuti fuerunt.

*Machabæorum libri duo.* Horum primum Hebraicum legi, secundum vero Græcum, testis est Hieronymus in Prologo Galeato. vterque omittitur à Melitone Sardiensi apud Eusebium de *hist. eccl. li. 4. c. 16.* & Nicephorum *li. 4. c. 10.* Diuus August. de *Ciuit. Dei, li. 18. cap. 36.* de his libris ita scribit, in quibus sunt & Machabæorum libri, quos non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet. propter quorundam martyrum passionem vehementes, atque mirabiles, qui antequam

Christus venisset in carnem, vsque ad mortē pro lege Deī certauerunt, & mala grauisima, atque horribila perterunt. Hæc August. Origenes apud Eusebium *li. 6. eccl. hist. ca. 25.* & Nicephorum *li. 5. c. 16.* cum libros veteris testamenti libri Machabæorum, qui apud eos inscribuntur Sarbeth, Saniel. Ab ecclesia vero, quamuis in Cōcilio Laodiceno fuerint hi libri omīsi, recepti fuerē tres de rebus Machabæorum libri, per Clementem in generali Synodo Tridentina, & ab Innocentio Papa primo ad Exuperium Thololanū Episcopum. Sed & Isidorus *li. 6. Etym. c. 2.* scribit eos libros ab Ecclesia receptos fuisse. idq; ipse & Augustinus ante Cōciliū Florentinū & Tridentinū testati sunt, quæ ratione de his duobus libris Machabæorum disputandum nō est. reliqui libri, cuius meminit Hieron. aduersus Pelagianos. Eius vero titulus est de imperatrice ratione, in quo graphice Martyriū Machabæorū Iosephus describit. Atq; hæc de Machabæorum libris, quos nō Canonicos, sed ecclesiasticos censeri, asseuerat Rufinus in expositione Symboli. In primo Concilio Tomo apud Gelasium legitur hoc in loco, Machabæorum liber vnus. Sed & de duobus libris ab Ecclesia receptis multa tradit Ambrosius Catharinus aduersus Caictanum, *lib. 1.*

#### De ordine Prophetarum ex eodem Gelasio apud Burchardum.

*Esaiæ liber vnus. Hieremie cum Cinoth, id est, Lamentationibus suis liber vnus. Ezechielis liber vnus. Danielis liber vnus. Osee liber vnus. Amos liber vnus. Michæa liber vnus. Ioel. Liber vnus. Abaiæ liber vnus. Iona liber vnus. Naum liber vnus. Abachuch liber vnus. Sophonia liber vnus. Agga liber vnus. Zacharia liber vnus. Malachia liber vnus.*

Hic ordo Prophetarum eodem modo traditur in primo concilio Tomo ex Gelasio. Sed & idem seruatur in Cōcilio Laodiceno, Florentino item, ac Tridentino. In Canonibus Apostolorum, & in Concilio Carthaginensi, apud Origenem & Meletonem, ac denique apud Rufinum in expositione Symboli tantū recipitur duodecim Prophetarum scriptura tacitis eorum nominibus, expressim tamen nominatis quatuor maioribus Prophetis Elia, Hieremia, Ezechiele, & Daniele.

*Hieremie, cum Cinoth, id est, Lamentationibus suis, liber vnus.* Ab Origene liber hic ita inter Canonicos numeratur, Hieremias cum Threnis, & Epistola meminit & Cinoth in prologo Galeato Hieronymus subindicans, & eum librum ab Hebræis inter canonicos censeri.

*Danielis liber vnus.* De historia Susannæ, de Hymno trium puerorum, de historia Draconis Belis, olim fuit equeidem controuersia, an haberent parem autoritatē cum religio volumine Danielis, cū & Hieronymus in præfatione scribat, hæc tria nō haberi apud Hebræos, & de Susannæ historia Origenes respondens Africano, qui ad eum scripserat, eam esse adulterinam, & à Daniele reiciendam, ostendit nō illegitimam sed germanam potius esse scripturam, quæ plurimum afferat utilitatis, authoribus Eusebio *lib. 6. cap. 31. de Eccl. hist.* Nicephoro *li. 5. c. 21.* Suida in *diuisione, Asiaticis.* Eandem Susannæ historiam recepit, & recipiendam esse censet Cyrillus *in li. 1. in Leuiticum.* Verum de Hymno trium puerorum in Concilio Toletano *4. cap. 13.* dicitur, eum in tota ecclesia celebrari. Denique de his tribus, quamuis olim non fuerint in Canone, tamē propter autoritatem septuaginta interpretum, & Sanctorum, doctorumque virorū, qui post Christum statim ab initio nascentis ecclesie vsi fuerē testimonio ex huiusmodi scripturis, asseuerandū est eas ecclesiam recepisse, ut publice legantur, non tamen ut parem habeant autoritatem ad demonstranda ea, quæ sunt fidei cum his libris, qui Canonici dicuntur, quemadmodum Io. Driedo censet *lib. 1. de Dogmatibus Eccl. part. vii.*

*Baruch liber.* quia non legitur apud Hebræos, teste Hieronymo, in præfatione in Hieremiam, ab Origene, eodem Hieronymo, Rufino, Meletone Sardinensi, Augustino, & alii omīssus est, nec palam Ecclesia eum recipit, vsque ad Synodum Florentinam, quæ & post eam Tridentina scripturam hanc receperunt. Atque ideo non est controuersendum,

tendum an Canonica sit, cum ecclesia Catholica illam in Canonem receperit. Fuit autem Baruch Hieremias notarius, & idem Hieronymus scribit ex ca. 32. Hieremia.

**Ordo librorum \* noui Testamenti, quos vniuersalis ecclesia obseruat, ex Gelasio apud Burchardum.**

**E**uangeliorum libri quatuor, secundum Mattheum liber vnus. Secundum Marcum liber vnus. Secundum Lucam liber vnus. Secundum Iohannem liber vnus. Actus Apostolorum. Epistola Pauli, numero quatuordecim. ad Romanos epistola vna. ad Corinthios epistole due. ad Galatas epistola vna. ad Ephesios epistola vna. ad Philippenses epistola vna. ad Colossenses epistola vna. ad Thessalonicenses epistola due. ad Timotheum epistola due. ad Titum epistola vna. ad Philemonem epistola vna. ad Hebraeos epistola vna. Apocryphis Iohannis liber vnus. Petri Apostoli epistole due. Iacobi Apostoli epistola vna. Iohannis Apostoli epistole tres. Iuda Zelotus Apostoli epistola vna. Hanc item hiera extat ex Gelasio in primo Concilio Romano. Huius libri omnes recepti sunt, & in Concilio Carthaginiensi tertio in Florentino, & deinde in Tridentino. Sed & olim à Clemente in Canonibus Apostolorum in Canonem recepti fuere omnes præter Apocalypsim, quam Clementis omisit. Concilium vero Laodicenum Iohannis item Apocalypsim omittit, recipit tamen actus Apostolorum, quod paulo post tractabimus.

**Secundum Marcum liber vnus.** Hoc Euangelium Marcum scripsit dicente Petro, testis est Origenes apud Eusebium li. 6. c. 25. & Nicephorum li. 5. ca. 16. idem Eusebius hoc asserit li. 2. ca. 14. & li. 3. ca. vltim. & li. 6. ca. 13. & li. 5. ca. 8. id. li. 3. De demonstratione euangelica, ca. 5. Rufinus Nicephorus li. 2. ca. 45. & cap. 15. idem ex Clemente Alexandrino li. 4. ca. 33. Nam & Petrus in epistola Marcum filium vocat. Salutatio, inquit, in Babylone electa, aut ecclesia, quæ in Babylone est, & Marcus filius meus. Sed & Hieronymus Marcum Petri interpretè appellat in li. de scripto. eccle. & quamuis teste Hieronymo in epistola ad Edibiam, qu. 3. olim à quibusdam non fuerit receptum vltimum caput huius Euangelii, ecclesia tamen illud, sicut & alia vt canonicè recipit, nec est hac de re dubitandum, siquidem à Latinis & Græcis scriptoribus ecclesiasticis inter Canonicas Scripturas connumeratur. Quod aduersus Caietanum li. 1. tradit Ambrosius Catharinus.

**Secundum Lucam liber vnus.** Scribit Eusebius li. 3. ca. 24. eccles. huius Lucam hoc Euangelium scripsisse adiutur colloquio, cōnectu, & familiari consuetudine Pauli, ceterorumque Apostolorum, idem tradit Nicephorus li. 2. ca. 45. sed & Origenes paulo ante citatus apud eosdem asseruit, hoc Euangelium à Paulo laudatum fuisse, idque Paulum gentibus scribi curauisse, vt tandem vere idem Nicephorus scripsit in li. 4. 5. Lucam Euangelium iussu composuisse. Sed & Pauli minister Lucam appellat Ireneus apud Eusebium li. 3. ca. 24. eccles. ca. 8.

**Secundum Iohannem liber vnus.** Hoc Euangelium Iohannes Apostolus scripsit ea ex causa, quod publicatis trium Euangelistarum libris, quos & ipse Iohannes recipiendos esse censuit, fidem illis veritatis attestatus, desiderari tamen in eis quadam dixit, quæ Saluator noiter initio prædicationis gessisset. Etenim tres illi res tantummodo Christi à vinculis Iohannis exoriri multa omiserunt, quæ Iohannis vincula præcelsent, quæ tamen in Euangelio suum Iohannes retulit, secundum Eusebium li. 3. eccles. huius ca. 24. & Nicephorum li. 2. ca. 45. Et præterea quia Iohannes animaduertisset, quod ab aliis Euangelis corporalibus satis essent exposita, diuino spiritu vehementius agitata spiritualia & quæ Theologie, atque diuinitatis propria sunt, accurate protulit, & suū Euangelium composuit. Quod ex Clemente Alexandrino adnotarunt Nicephorus li. 4. ca. 33. & Euseb. li. 6. ca. 14. idem ipse scripsit in li. 3. ca. 24. Denique hoc priuilegium scriptum fuit ad euertendas Ebionitarum, & Cherinthorum hæreses, quarum passim veteres Theologi meminere, idque Hieronymus tradit in ipsius Iohannis vita. commemorat Nicephorus li. 3. ca. 33. tempore Iuliani Imperatoris in præcon quodam sub templi Hierosolymitani fundamentis librum Euangelii secundum Iohannem inuentum fuisse. Ceterum de historia mulieris adulteræ quæ capit. 8. Iohannis traditur, dubitarunt olim quidam, auctore Hieronymo adu. 2. aduersus Pelagianos, ex eo quod in plerisque exemplaribus Græcis ea non contineretur. Ecclesia tamen caput hoc Iohannis, & historiam istam pari autoritate, vt

& alia ipsius Euangelii capita recepit. Nam & Ambrosius in epist. ad Studium, semper in ecclesia decantatam fuisse testatur. Quo fit vt audacter nimis Caiet. asseruerit nõ esse authenticam primam partem capit. 8. apud Iohannem, nec eiusdem autoritatis, cuius & reliquum Euangelium. Cui opinioni & Synodus Tridentina refragatur.

**Ad Hebræos epistola vna.** Hanc epistolam canonicam esse, & ad eodem Apostolo Paulo scripta fuisse, constat testimonio ecclesiæ, & summorum Pontificum. Hoc etenim titulo, & nomine inter Canonicos libros adnumeratur in Canonibus Apostolorum, in conciliis Laodiceno, Carthaginiensi tertio, Florentino & Tridentino. Ab Innocentio Papa primo. Ad Exuperium Tolosanum Episcopum à Gelasio primo, cuius responsum interpretatur Gregor. Nazianzeno in eo carmine, quod de libris sacris scriptis. Et à Cyrillo Hierosolymitano in Catechesi. 4. Eandem epistolam à Paulo scriptam fuisse, & à Luca ex Hebræo in Græcam linguam translata, testis est Clemens Alexandrinus apud Eusebium li. 6. histor. eccles. ca. 14. & Nicephorum li. 4. ca. 33. Origenes item, quamuis de auctore primum dubitauerit, fatetur tamen, eius epistolæ sententias Pauli Apostoli esse, & merito, nõ equidem frustra, nec temere, veteres eam Paulo adscripsisse. Et subdit vel à Clemente primo Pontifice, vel Pauli Apost. dictis eam editam ac transcriptam esse, sicuti ex eodem Origene referunt Eusebius li. 6. eccles. huius ca. 25. & Nicephorus li. 5. ca. 16. idem vero Euseb. li. 3. ca. 37. & Nicephorus li. 2. ca. vlt. ex testimonio Clementis Papæ primi hanc ad Hebræos epist. Pauli Apostoli esse censent. Idem censura Parisiensis ex Damasceno, Athanasio, Chrysostomo, Theophylacto, & Ilidoro probat, quemadmodum traditur à Claudio Guillando super eandem epistolam. Et ab Ambrosio Catharino li. 1. contra Caietan. Nec ipse video, qua ratione absque temerariæ, & suspectæ opinionis labe possit tot concilia, tot Theologorum decreta, & sententias dubitare quis possit, an hæc epistola canonica sit, & an eius author fuerit diuus Paulus, vt dubitat Caiet. scribens. non posse ex huius epistolæ autoritate definire, si quod dubium in fide Catholica emerferit, quod temerarium est, licet olim dubitauerit Hieronymus, & Caius quidem nagauerit, eam esse Pauli, vt commemorat Nicephorus li. 4. ca. 34. post Eusebium li. 6. ca. 21. quo teste li. 3. ca. 3. & alii olim dubitarunt de huius epistolæ auctore.

**Apocalypsis Iohannis liber vnus.** Rursus & hunc librum esse Canonicum, & ab Apostolo Iohanne scriptum, non est nunc dubitandum, siquidem ab ecclesia hæc controuersia definita est in concilio Carthaginiensi tertio, Florentino item & Tridentino, à Gelasio, & Innocentio summis Pontificibus, vt impium sit hac de re dubitare. Nam & in concilio Tolitano 4. ca. 16. excōmunicationis pœna inducitur ei, qui hunc librum, eiusque autoritatem non receperit, præmittiturque ibidem præscriptum esse à multis conciliis, & summorum Pontificum decretis librum istum Ioh. esse Apost. & quauis olim fuerit hac de re à quibusdam dubitatum, nempe à Dionysio Alexandrino Episcopo, authoribus Eusebio eccles. huius li. 7. ca. 25. & Nicephoro li. 6. ca. 22. & seq. tamen idem Euseb. li. 6. ca. 26. & Nicephorus li. 5. ca. 16. ex Origenis testimonio, & ex Ireneo, Euseb. li. 3. ca. 18. & Nicephorus li. 3. ca. 9. ex Iustino Martyre in dialogo cum Tryphone Iudeo, Euseb. li. 4. ca. 18. & Nicephorus li. 4. hunc librum esse Iohannis Apostoli constanter asseruerunt. idem scripsit Euseb. li. 3. ca. 24. tamen meminit controuersiam, quæ tunc tractabatur de eiusdem libri auctore, & autoritate, Rufinus itè in expositione symboli, Ilidorus, & plerique alij communem ecclesiæ definitionem, ac traditionem sequuti librum istum inter Canonicos adnumerant. & Hiero. de scripto. eccles. tradit Ioh. Apost. sub Domitiani persecutione in insulam Pathmum relegatum Apocalypsim scripsisse. idem tradidere Eusebius in Chronicis, & li. 3. eccles. huius ca. 18. & Nicephorus cap. 9. vt mirum non sit Clementem Papam huius libri in Canonibus Apostolorum non meminisse, quum & is eo tempore summum Pontificatum Romæ obtineret, & fortassis nullam eius habuerit cognitionem. Obiit enim Clemens eo tempore quo Traianus Cæsar imperare cepit. meminit tamè Clemens Euangelij Iohannis, quod is Ephesi multo ante Apocalypsim scripsit. Concilium autem Laodicenum etiam omisit Apocalypsim, sed non est modo de ea re disputandum, cum sit satis librum istum, & olim, & hodie ab ecclesia inter Canonicos receptum fuisse.

Petri

*Petri Apostoli epistola dua.*) De priori nulla vquam fuit controuersia, de posteriori vero anceps apud veteres fuit opinio secundum Euseb. li. 3. c. 3. & c. 25. & Nicephorū lib. 2. c. vii. & Hieron. de script. eccles. Origenem etiam, qui quidem auctores nihilominus eam Canonicam esse, & à Petro scriptam existimarunt, idque modo dubium non est, nec de ea re iure potuit olim dubitari. Nam & à Clemente Papa primo, ab Innocētio, Gelasio, à concilio Laodiceno, Carthaginensi, ac Tridentino, Petri epistolæ duæ eius esse, & canonicæ censentur, idem Isidorus, August. Rufinus, alique veteres Theologi fatentur.

*Iacobi Apostoli epistola vna.*) Rursus & de hac non est dubitandum, ab eisdē etenim pontificibus, conciliis, & auctoribus inter canonicas tit. Iacobi numeratur, licet olim fuerit controuersum, testibus Eusebio, Nicephoro, & Hieronymo.

*Ioannis Apostoli epistola tres.*) Hæ tres Ioannis Apostoli Epistolæ à Clemente primo, Innocētio, Gelasio, & conciliis omnibus, & Theologis, quorū paulo ante meminimus, in canonem receptæ fuere, licet de secunda, & tertia fuerit olim controuersia auctoribus Euseb. li. 3. c. 24. & 25. Nicephoro, & aliis modo citatis, ac Hieronymo in lib. de script. eccl. qui hac de re ex autoritate Papæ dubitauit.

*Indæ Apostoli epistola vna.*) Hæc & in canonē ab initio ecclesiæ à Clemente, & aliis, vt & reliquum, recepta fuit, etiam si de ea fuerit dubitatum, vt Eusebius, Nicephorus, & Hieronymus testantur. Verum de epistolis canonicis, & apocalypsi Nicephor. in d. c. vii. inquit. Sed enim libri hi, tametsi controuersi ab antiquis sint habiti, postea tamen in omnibus, quæ sub celo sunt, ecclesiis, auctoritatem sacrosanctam, & irrefragabilem obtinuerunt, & tanquam principia & elementa pietatis nostræ sempiterna permanferunt. Hæc Nicephorus, de Apocalypsi, & de duabus Ioannis epistolis adiciens, memor alterius Ioannis, qui post Apostolum Ephesinæ ecclesiæ præfuit, eius igitur presbyteri ecclesiæ Ephesinorum secundam & tertiam Epistolam & Apocalypsim insuper nonnulli esse somniarunt.

### Ex Gelasio.

*Post Propheticas, & Evangelicas, atque Apostolicas scripturas, quibus ecclesia Catholica per gratiam Dei fundata est, etiam illud inuicandum putauimus, quod quamuis vniuersa per orbem diffusa Catholica ecclesia vniuersa thalamus Christi sit, sancta tamen Romana, & Apostolica ecclesia nulli synodus constituta ceteris ecclesiis prælata est, sed Evangelica voce Domini Saluatoris nostri primatum obtinuit. Tu es Petrus, inquit, & super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, & porta inferi non preualebunt aduersus eam, & tibi dabo clauis regni caelorum. Et quacunque ligaueris super terram, erunt ligata & in calo. Cui data est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli vasis electionis, qui non diuerso, sicut heretici garrunt, sed vno tempore, vno eodemque die, gloriosa morte cum Petro in vrbe Romana sub Cesare Nerone agonizans coronatus est, & pariter supradictam sanctam Romanam ecclesiam Christo Domino consecraturus, hancque omnibus vrbibus in vniuerso mundo sua presentia, atque venerando triumpho prætulit. Est ergo prima Petri Apostoli sedes Romana ecclesia non habens maculam, nec rugam, nec aliquid huiusmodi. Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine à Marco eius discipulo, & Evangelista consecrata, ipseque à Petro Apostolo in Augustum directus verbum veritatis prædicauit, & gloriosum consummavit martyrium. Tertia vero sedes apud Antiochiam eiusdem beatissimi Petri nomine habetur honorabilis eo, quod illic priusquam Romam venisset, habitauit, & illic primum nomen Christianorum nouella gentis exortum est.*

*Quibus ecclesia Catholica fundata est.*) Id est, quibus scripturis, quas semel Catholica ecclesia diuinas, & canonicas esse declarauit, denūciavit, ac definiuit per Spiritus Sancti gratiam, eadem ecclesia vtitur ad probandum probatione irrefragabili ea, quæ ad fidē, ac religionem Christianam attinent, & ad euertenda, quæ hæretici quotidie aduersus Catholicam vniōnem eiusque canones ac decreta cōmuniſcuntur, sicuti explicuimus in huius capituli initio. Hæc etenim ratione diuinæ scripturæ propter irrefragabilem, ac sacrosanctam auctoritatē principia, atque elementa pietatis, ac religionis nostræ dici iure optimo poterunt, ac dicuntur à Nicephoro Græco ecclesiasticæ historiæ auctore lib. 2. c. vii.

*Vnus thalamus Christi sit.*) Ecclesia igitur Catholica dicitur, id est, vniuersalis, quod præcedat palmites suos in quolibet loca, & tempora, continuata sub vno duce inuisibili Deo in vniuersitate fidei, & religionis, quæ quidē societas in orbe semper fuit, & erit vsque in consummationem sæculi. Matth. ca.

14. prædicabitur Euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. tholica, & vniuersalis ecclesia per totum orbem, omnesque vnū baptisma, vnus Deus, vnum caput Christus. Ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministratiōnis, secundū operationem in mensura vniuersi cuiusque membri augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate, teste Paulo ad Ephes. 4. Deinde manifestū est, & veteris, & noui Testamenti vnā, eandemque ecclesiam esse fundatā super fundamentū Prophetarum, & Apostolorū, hoc est, Christum, qui vtriusque Testamenti, & vtriusque populi fundamentū est, & lapis ille angularis, quo vterque populus cōnectitur, iuxta Psalmistam, Psal. 117. Ecclesia igitur dicitur Catholica, nempe vniuersalis, quia vbiq; vna, in omnibus vna, atque vna super omnia. Sic etenim eam agnoscit Pacianus Barchinonenſis in epistola 1. ad Sempronium. Sed & pie atque eleganter eam nobis depingit Vincētius Lirinensis in eo libro quem aduersus hæreses eruditissime scripsit, & ante eos Optatus Mileuitanus lib. 2. & Cyprus de vnit. eccles. Idem & D. August. docet de vera relig. cap. 7. & de vnit. creden. cap. 7. libro 2. contra aduersarios legis. c. 12. & aliis plerisque locis præsertim epist. 49. quæ de tractat late Franc. Balthusinus in historia collationis Africæ ad Optatū. Ceterum vbi Christus de audienda ecclesia præcipit, vel patres post Apostolos de auctoritate ecclesiæ differunt, ecclesia consideranda est, vt cōplectitur omnes, qui habent cōmunionem fidei, doctrinæ, & aliorū quæ his adherent ex vniōne per fidem, per quā omnes fideles sunt grex sub vno pastore, vt sit iuxta hunc sensum ecclesiæ secundum vniōnem professionis, & visibile quandā Christianæ fidei formam, in quo ceteri & bonos & malos dicimus esse permixtos, qui tamen non sint colligati omnes vniuersitate spiritus, & vinculo charitatis, colligati tamen sunt secundum vniōnem vnius signaculi fidei, & corporaliter cōiuncti secundum visibilia pietatis sacramenta. Hanc etenim ecclesiam, quæ audienda est, & cuius auctoritas sequenda, nobis oportet esse cognoscibile, atque ideo visibile. Hæc denique est illa ecclesia quæ apud Mattheum cap. 13. comparatur lagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium cōgregantur, & apud eundem decem virginibus ca. 25. & quibus quinque erant fatuæ, & quinque prudentes. Sunt ergo mali in ecclesia Dei non secus, quam palea in frumento, ex Augustino in libro de Baptismo. cap. est vniuersa de consecratione, dist. 4. eodem Augustino de fide ad Petrum, cap. 43. repetitque idem auctor hanc sententiam, quam de ecclesia adscripsimus sæpe aduersus Donatistas, & in libro de vera religione, capite sexto, & præcipue in libro vno contra Epistolam Petilianam de ecclesiæ vniuersitate. Synodus etiam Cōstantiensis aduersus Ioannis Huseros, sessione 15. definiuit, bonos & malos peccatores, ac vitios ad ecclesiam eiusque vniōnem, quæ fide cōstat, pertinere. Sed & Synodus Tridentina, sessione sexta, c. 15. & Canon. 23. contra Lutheranorū hæreses, pronunciauit, per peccatum mortale fidem non amitti, eamque tunc quamuis mortua sit, nec viuā dici possit, veram tamen esse fidem, quæ sufficiat, vt quis dici vere possit Christianus, quæ de re ex notioribus tractauere Alphonsus de Castro libro de hæresibus, in verb. ecclesia Dominice. Soto libro secundo. De natura & gratia, cap. 7. & 8. præter hoc Concilium Colonienſe in expositione Symboli.

*Primum obtinuit.*) Probat Gelasius Petri & Romanorum Pontificum, qui ei succedūt, priuilegiatam esse diuinam institutionem vim obtinuisse, non equidem humanis constitutionibus, id vero deducit ex verbis Christi Iesu apud Mattheum ca. 16. idem Nicæna sacrosancta Synodus in præfatione alleuerat, ex eodem Matthæi loco, vbi Christus dicitur, Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, petram intellexit Petrum ipsum. Nam licet quidam ex patribus locum illum varie intellexerint, communi tamen eorum consensu ea interpretatio recepta est, & quæ Catholicis primatum Petri, & sedis Apostolicæ probari non dubitant, præter alia iuris diuini testimonia. Petram enim Petrum intellexere Tertullianus, de præscriptionibus, Clemens in epist. ad Iacob. Origenes & Hilarius in dicto cap. 16. Matthæi. Rursus Origenes ad Rom. lib. 5. Basilus contra Eumonium lib. 2. Ambrosius sermō. 47. de fide Petri, & in sermō. 2. de vinculo. Pet. & Lucam

*Marquar. cap. 9. Origenes Homil. 8. super Ioan. Cyprianus Epist. 9. libro quarto. & libro de haeret. baptiz. & libro de vnicat. eccles. Ambro. libro quarto, de fide. cap. 3. Cyrillus in Ioan. libro 2. cap. 12. Chryso- stomus in Mattheum 55. in Mattheum 87. in Ioan. Leo Papa. in Mattheum 2. de sanct. Per. Hieronymus in Mattheum. cap. 16. & lib. 1. contra Iovinianum. Gregorius lib. 4. epist. 32. ad Mauricium. Rufinus in Hilari. in Psal. 103. nec ab hac interpretatione discedit Diuus Augustinus. lib. 1. contra. cap. 21. Imo & eam probat in lib. contra Epist. Donat. Sed & Chiriosomus & Theophylactus in Mattheum eandem videntur admittere, vt tandem in ecclesia Catholica ex eo, & aliis locis primatus sedis Apostolice constet. Quae quidem assertio Catholica est, multisque aduersus haereticos testimoniiis sacre ac diuine scripturae. Conciliorum, veterumque Theologorum autoritate stabilita, ac defenditur a Ioane Rosenfe contrarium. articulo. 25. Ioan. Eckio in libro que de primatu Petri diligentissime scripsit, ab Alphonso de Castro in li. de haeresib. dictione. Papa. a Remundo Ruso in defensione contra Caroli Molinum. & Alberto Pighio controuerf. 3. & libro tertio, de eccles. hierarch. cap. 3. & 4. Extat hac de re definitio Constantiensis Concilij, sessione 4. & Concilij Florentini sub Eugenio quarto, vt tandem haereticum sit contrarium asseuerat. Anacletus Pontifex Romanus, qui post Linu Petro succellit, Epistola tertia, ad omnes Episcopos, eandem assertionem tradit, apud Gratianu in 2. dist. quoniam in hoc loco exponit Gelasius Optatus lib. tertio, Petru Apostolorum caput appellat, eius verba cum illis opinor esse conferenda, quae Diuus Cyprianus in lib. de vnicat. eccles. scripsit. Eusebius libro Ecclesiast. historiar. 2. cap. 1. 4. Petrum appellat. τὸν ἀπὸ ἀποστόλων ἀρχιερέων, id est, omnium Apostolorum praesidem. Nicephorus lib. secundo, cap. decimo quarto. scribit, Petrum, τὸν ἀπὸ πάντων τῶν ἀποστόλων ἀρχιερέα, id est, primas inter Apostolos consequentem. vt interpretatur Ioannes Langius: aut quod larum differt, Petrum in omnes Apostolos primatum à Deo habentem. τὰ πρῶτος, Latine quidem recte primatu dicere possumus: quoadmodum & primas, aut secundas dicimus alicum obtinere, subintelligentes partes. Plinius libro decimo tertio, capite duodecimo, inquit: Primatum mutauit Caesar. Marcus Varro libro 1. de re rustica. cap. septimo. alij dant primatum bonis patris. quibus in locis, & aliis quae missa facio, primatus apud Latinos dicitur primi, summi que loci auctoritas. Graece itidem primatus πρῶτος plurali numero dicitur. Nam apud Demosthenem in oratione pro Phormione, πρῶτος, dicitur legatu, quod pater maximo aut maiori filio dedit. Et in oratione in Boetu pro iure praecipuo maioris filij idē Demosthenes accepit, apud Suidam πρῶτος, est equidem regni adde qui iure primogenij, & maioratus. Est denique πρῶτος, ius praelationis, quod ratione maioris aetatis, aut senectutis, primi, aut summi loci alicui defertur. Plutarchus in eo libro quem scripsit vram senis gerenda Respublica. delationem honoris, quae ratione temporis, aut aetatis, vel ab ipso tempore datur, appellari dixit πρῶτος, à multis, sed proprius ac verus dicit πρῶτος, in Canonib. vero, vt dixi plurali numero adlumitur haec dictio, vt significet praelationem praerogatiuam, aut priuilegia, quae iure summi, primique loci, vel in prouincijs, vel in toto orbe Ecclesiasticis principibus conceduntur, aut diuinitus esse concessa probantur à summis Pontificibus, vel Synodis vniuersalibus. in concilio Nicæno. capite sexto, Graece τὰ πρῶτος Ecclesia Antiochena, & aliarum, quae in prouincijs primū locum obtinent, dicuntur, quae apud Gratianum 63. dist. in dictione. cap. mos antiquis. priuilegia Latine appellantur. Quod parum refert, modo priuilegia intelligas, quae ad praelationem primatus pertinent. Nam de his canon agit, atq; ideo Remudus Rufus vere existimat, potuisse eō modo ex Graeco canone verti primatum. Sed & idem Rufus admonet legendū esse apud Gratianū: Mos antiquus per dret imperandi modo, quom ex Graeco codice concilium iubet, consuetudines antiquas valere, vim suam, & robur habere, nec tantum mores narret, sed etiam probet. Ita enim scriptum est: τὰ ἀρχαία ἔθνη καὶ νόμοι ἰδ est, antiquae consuetudines perdurent. Concilium etiam Constantinopolitanum capite tertio censuit, post Romanam ecclesiam Constantinopolitanam, τὰ πρῶτος τῶν τριῶν, id est, praelationem honoris habere, aut primatum. Graeca etenim dictione de primatu Constantinopolitanae ecclesiae tractantes etiam vti fuerit Sozomenus libro 7. Ecclesiasticae historiae, capite nono, & Nicephorus li. 13. cap. 13. & Soerates libro 5. capite. 8. Etenim sicut diuinitus Romana ecclesia, eiusque Pontifex in toto orbe primatu ob-*

tinet, ita & concessione ipsius, vel conciliorum Canonibus, aliquot Episcopi, aut Pontifices in prouincijs primatum in alios Episcopos optinuerunt, vt tandem similitudo primatum, Patriarcharum, aut Archiepiscoporum cum Romano Pontifice in hoc tantū detur, quod quemadmodum in omnes totius orbis Episcopos summus Ecclesiae Romanae praesul primatum à Deo obtinuit, vt Petri successior, ita & primates in prouincijs erga Episcopos alios ius praelationis obtineant. Non est tamen concedenda similitudo in radice, & auctoritate huius praelationis, nec in ipsius maiestate aut extēione, siquidē primatus Papae cōpetit ex diuina institutione, & in Christianū orbē protenditur, ac vires habet. Primatus vero aliorū pontificū iure humano, & in prouincia tantum Episcopos, aut regionis praelatos cōceditur, ex quo poterit lector expendere veram interpretationem Nicæni concilij in d. c. mos antiquus. Hic adde quae de Romana fede tradiderunt Soto in 4. dist. 24. col. 51. & Card. polus in tractat. de concil. q. 59. & seq. Ludovic. Macorantus in Chyepo militia 13. cap. trigesimo quinto, Nicolaus Sanderius in Monarchia lib. 1. cap. 10. & rursus lib. 7. Nam & D. Cyprianus in Epist. ad Caelium de Polycarpo Adremantino lib. 1. Epist. 45. Romanam Ecclesiam esse Catholice Ecclesiae matricem & radicem proficitur. ]

Sed vno tempore, vno eodemque die. Vltimo Neronis anno ipse Caesar, primam in Christianos persecutionem molitur, in qua Roma eius iussu Petrus, & Paulus, ille eruci affixus, & pedibus in sublime eleuatis. & capite in terram verso, hic gladio mortem martyrio subierunt, teste Eusebio in chronica, cui & Hermanus Contractus, & Platina accessere. Sed hos ecclesiae principes eodē tempore martyrio fuisse perfūctos ex testimonio Dionysij Corinthiorū Episcopi probat Eusebius libro 2. historiar. ecclesiast. capite penultimo. & post eum Nicephorus li. 2. ca. 37. qui capite praecedenti scripserat, hoc illustre martyriū eodē tempore, eodēque die contigisse. Id ipsum Eusebius, & Platina sentire videntur. Sed & praeter Gelasū, & Nicænam synodū in praefatione Diuus Hieron. de scripturis eccles. commemorat, Paulum decimo quarto Neronis anno, eodem die, quo Petrus, Romae pro Christo capite truncatum fuisse, anno post passionē Domini tricesimo septimo. Ex quibus dicitur, Petru & Paulū occisos, & martyrio coronatos fuisse anno à natiuitate Domini septuagesimo. Quod Eusebius, Contractus, & alij fatentur. Sed & Ioannes Zonaras in Nerone tradit, quosdā existimasse, hoc martyriū eodē tempore contigisse, alios vero eodē die, sed anno diuerso. Nam & Abdias Apost. Histo. lib. 2. scribit, Paulum passum fuisse tertio Cal. Iulias, duobus iam à passione Petri elapsis annis. At Georgius Cedrenus in [annal.] Epitome de die idem tradit, anno vero vno post Petrum occisum fuisse Paulum asseuerat. De die vero huius martyrij praclarissimi praestat nobis irrefragabile testimonium Ecclesiastica traditio, quae probat, id contigisse Romae tertio Calendas Iulias: id est, vicefimanona die Iunij. Nam & ecclesia Catholica hoc die horum Apostolorū commemorat martyrium, Extat hac de re inter alia, quae de rebus Ecclesiasticis tractantur, Graeca lingua fragmentum quoddā, vbi Apostolorum Petri & Pauli mors adscribitur diei quintae Panemij mensis, quae illic apud Romanos dicitur esse tertio Calendas Iulias: annus vero numeratur tricesimus sextus à Iesu redemptoris nostri passione. Mensis tamen Panemus apud Macedonas idem est, qui apud Romanos Iulius, auctore Suida. cui suffragantur Eusebius lib. 8. Ecclesiasticae historiae. Euagrius lib. 4. capite primo. Nicephorus libro decimo septimo, capite primo. & Anselmus libro 2. de imagine mundi, capite. 6. Vt tandem hac ratione obseruata quinta dies Panemij mensis esset quinta dies Iulij, non vicefimanona Iunij. Verum illud est adnotandū, menses, quibus Macedones, Graeci, & alij vtuntur, nō omnino ad exactam rationē cum nostris conuenire: imo & apud ipsos Graecos varie considerari, & sumi. Nam cum Artemisij mensis nostro Maio conueniat auctore Euagrii libro 4. capite. 5. atque idem Suida: ex Epiphania tamē lib. de mensuris constat, vicefimanam tertiam diem Artemisij eam esse, quae apud nos est decimasexta Maij. & Thucydides libro quinto, auctor est Artemisium apud Macedones eum esse mensem, qui apud Atheniensis sit Elaphbolon. qui nostro Februario conuenit. Et ideo reprehensione non carent qui mensē mensi comparare conati sunt, quasi ad scrupulum inter se respondent. Nec mirum erit, in ea commemoratione huius martyrij, quam ex Graecis fragmentis obseruauimus, Panemum mensē incipere à vicefimaquin-



ta die mensis, qui apud nos dicitur Iunius: esseque eius quintam diem nostri Iunii vicissimam nonam. Comparatur vero tunc Panemus mensis Iulio, quia eius maxima pars ei convenit, & iuxta dierum maiorem numerum respondere videtur. Sed & apud Demosthenem in oratione de coronone ex epistola regis Macedonum constat, à Corinthiis Panemum mensis dici eum qui à Macedonibus Locus, ab Atheniensibus Boedromion dicitur, qui dubio procul apud Romanos est Augustus. Rursus Plutarchus in Camillo scribit, à Bœotis Ponemum mensis dici Iulium. Idemque Plutarchus in Aristide, nisi codex fallit, satis probat, apud eosdem Bœoticos Panemum mensis adhuc septem, vel octo dies adsumere ex quo mense, qui ab Atheniensibus Boedromium, à Romanis Augustus dicitur: siquidem vicissimam septimam diem Panemum mensis apud Bœoticos, quartam diem mensis Aug. & Boedromionis apud Athenienses comparat, Tametsi Latinius Plutarchi interpres minus exacte rationem istam ex Græco codice deduxerit. Hinc denique vera interpretatio constat Canonis vicissimi ex concilio Antiocheno apud Gratianum 18. *distinctione, cap. propter* & Iuonem Carnotensem li. 4. Burchardum *lib. primo, cap. quadragesimo quarto*. ex vulgari etenim lectione que extat in Gratiano, & in concilio ex secunda editione, Latina, ex Græco Canonum codice, deducitur, diem, qui nobis est idibus Octobris, id est decimum quintum, esse apud Macedonas decimum mensis Hyperberetæ: quod Andreas Alciatus nullo adducto testimonio ad discrimen istud adnot. *libro primo Parerg. cap. quadragesimo octavo*. In ipso concilio ex prima editione, & apud Burchardum dies decima quinta mensis Hyperberetæ dicitur illa, quæ apud nos est, idibus Octobris: atque ita convenit omnino Octobri mensi, Hyperberetæ Macedonum mensis apud Suidam. Ex quo in *dict. Canone, & ca. propter*. vera lectio restituenda est, ubi mensis his falso dicitur Hyperbericus: ut & apud Anselmum eodè ferme errore Hyperbores. Burchardi vero liber veræ lectionis vestigiū habet. Sed & Ioseph. li. 3. de antiq. cap. decimo, mens Hyperberetæ apud Macedones meminit, scribēs, eū convenire septimo Hebræorum mensi. eiusdè mensis meminit idē Iosephus *lib. 12. Antiq. c. 3. & lib. 2. de bello. Iud. c. 39. & lib. 4. c. 7.* *Secunda autem sedes apud Alexandriam.* Egesippus inter scriptores Ecclesiasticos vetustissimus, vicinūque Apostolorum ætati, teste Hieronymo, qui que floruit sub Pio Antonio, auctoribus Eusebio *libro 4. Ecclesiasticæ historiae, cap. undecimo*. & Nicephoro *lib. eodem, cap. 7.* quatuor orbis præcipuas civitates connumerans *libro 3. de excidio Hierosolym. cap. 5.* scribit, primum locum obtinuisse Romam, secundum Alexandriam, tertium Constantinopolim, quartum Antiochiam. Quæ tamen, ut illic adicitur, olim tertium locum obtinuerat, priusquam Constantinopolis civitas Byzantium creuisset. Hæc apud Egesippum ex translatione divi Ambrosii, quæ ab ipso Latino interprete partim addita fuisse vel ex eo existimaverim, quod etate Egesippi Byzantium nondum tantum nominis fuerit, nec Constantinopolis diceretur. Atque ideo ex Egesippo illud erit observandum, primum locum Romam, secundum Alexandriam, tertium Antiochiam tunc obtinuisse: quæ in re cū Gelasio convenit Egesippus. Quod vero de Constantinopoli scribitur, divo Ambrosio, eiusque ætati tribuendum est. cæterum quod Gelasius hoc in loco tradit, scripserat prius Anacletus Pontifex summus in Epistola tertia ad omnes Episcopos, *capit. sacrosancta. 22. distinctione* & proficitur Nicæna synodus in *prefatione*: tametsi Zonaras historicus scribat, Constantinum Magnum, primum Patriarchatus locum post Romam dedisse Constantinopoli, quæ in re variat edictum Constantini apud Gratianum in *capit. Constantinus. 96. distinctiō. Et in primo concilio Tomo & apud Alber. in l. 1. §. in initio. ff. de offic. præf. vrb.* Nullibi tamen Constantinopolitana ecclesia ex eo edicto præfertur Alexandriæ, imo nec Antiochenæ, quæ in re non satis certa tradit Eugubinus de donatione Constantini *libro 1. pagina 55. numero 43.* Verà in concilio Constantinopolitano primo, *Canone quinto*, sub Papa Damaso datus est primatus honoris post Romanam Ecclesiam Constantinopolitanam, ut inter Patriarchas Archiepiscopus Constantinopolitanus primum locum post Romanam Pontificem obtineret. Huius Canonis meminere Sozomenus *lib. 7. Ecclesiasticæ historiae, cap. 9.* Socrates *li. 5. cap. octavo*. Zonares in *tercio Anomalium Tomo. in Theodosio. Nicephorus lib. 12. capit. 13.* & Gratianus *22. distinctione, capitulum. Constantinopolitana.* Idem statutum fuit in quarta synodo generali apud Chalcedonem *actiōne 16.* quod & Nicephorus refert *li.*

*bro 15. capitulum. vltim.* post Euagrium *libro 2. capitulum. 4. & vltimo.* quorum canonum sensum meminit Iustinianus, idem privilegium Constantinopolitanæ Ecclesiæ commemorans in *Novaella 131.* Idem postea repetitum fuit in Concilio lecto generali Constantinopoli celebrato sub Agathone Papa *Canone 36. capitulum. renovantes, 22. distinctiō.* & ab Innocentio tertio Romæ in Concilio generali, *capitulum. antiqua. de privilegio.* quo in loco Iustinianus Pontifex omnia Romana ecclesia, quæ super omnes alias potestatem & iurisdictionem habet, quatuor sedes Patriarcharum iuxta ordinem privilegii, & prelationis connumerat, ut prima sit Constantinopolitana, secunda Antiochena, quarta Hierosolymitana, quam & sexta Synodus à Romana incipiens quintam, & vltimam nominaverat inter patriarcharum sedem. De quibus interpretetur pontifici multa tradidere post alios Callianus in *catalogo gloria mundi, quarta parte, consideratione nona.* Illud tamen mirum videri poterit, cur Gelasius prælati Alexandriam ecclesiam Constantinopolitanam, idemque fecerit Ambrosius, cum & tunc ex Synodis Constantinopolitana prima, & Chalcedonensi data esset ecclesiæ Constantinopolitanæ prelatio hæc, ut prior esset Alexandria. Quod si dixisset Leone primo summo pontifice illud prelationis ius revocatum fuisse, & Alexandriam ecclesiæ restitutum: cur equidem post Leonem ante sextam synodum Iustinianus Casar ex Canonibus Ecclesiasticis in *disti. Novaella*, quæ extat titulo *de Ecclesiasticis titulis*, afferuerat, ius hoc prelationis Constantinopolitanae Ecclesiæ, ut prior sit Alexandria, eodemque præferatur, competere? Iustinianus tamen animo in Constantinopolim vrbē propensissimo, utque ei benivolentissime faueret, Chalcedonensis synodi, & Constantinopolitanae primæ Canonis secutus fuit, eoque iure pronuntiavit, Constantinopolitanam Ecclesiam preferendam fore Alexandriæ. Gelasius vero etsi sciret, quid ea de re in his synodis fuisset statutum, maluit Leonis Papæ definitionem sequi. Is etenim, ut constat exactis Chalcedonensis synodi, & ex *Epistola 57. & 59.* licet confirmaverit concilii Chalcedonensis Canones ad fidem pertinentes, decretū hoc de prelatione Constantinopolitanæ ecclesiæ noluit admittre, nec probare, imo Alexandriam ecclesiæ ius prelationis quoad Constantinopolitanam restituit. Ex Ambrosio fortassis illud deducit: petierit primum locum obtinuisse Romam, secundum Constantinopolim, tertium Alexandriam, quartum Antiochiam. Tantū etenim commemorat, olim quartum locum habuisse Constantinopolim, priusquam ipsa vrbis creuisset, ac postea dat vltimum, & quartum locum Antiochiæ: nec palam explicat, an Alexandria fuerit prælata Constantinopolim, an e contrario Constantinopolis Alexandria: tamen illud temporè Ambrosii ex Concilio Nicæno Alexandria prælata fuit Constantinopoli: & rursus ex concilio primo Constantinopolitano, Constantinopolis Alexandria: sed hoc concilium an fuerit celebratum priusquam Divus Ambrosius & Græco in Latinum verterit Egesippum, dubitari poterit, atque ideo verba Ambrosii potuerunt intelligi, vel secundum concilii Nicæni definitionem, ut habeat secundum locum Alexandria post Romam, cum nondum creuisset, an ea prelatio fuerit revocata eo tempore per synodum Constantinopolitanam primam, vel ea revocatio fuerit apud occidentales prælatos probata, & recepta. Nec enim de Chalcedonensi synodo tractandum est, quod ad Ambrosii opinionem, cum dubio prælatum nondum esset celebrata. Quod si Ambrosii verba intellexerimus eo in sensu, ut Constantinopolitana ecclesia sit Alexandria prælata eo tempore, dicemus Ambrosium scripsisse illud opus post synodum primam Constantinopolitanam, quæ divi Ambrosii ætate, & postquam is fuerat Mediolanensis Episcopus electus, congregata fuit. Ex quibus lector satis poterit intelligere, quæ fuerint hæc de re vicissitudines, ut parum necessarium sit quod Gratianus in *dict. cap. renovantes*, voluit adnotare, minime expendens, quæ fuerit olim de prelatione inter has ecclesias controversia. Quæ quidem fuit diligenter observanda, quæ minus aliter hanc controversiam, & licet componere conetur Franciscus Torrensis in *libro de Canonibus sexta synodi*: apud quem præter alia multa & illud observandum erit, in *cap. renovantes. 22. distinctiō. falso legi*, petimus, ut Constantinopolitana sedes similia privilegia, quæ inferior Roma habet, accipiat. Imo legendum esse, quæ senior Roma habet, ex Græcis codicibus, & vetustissimis exemplaribus.